SUMMO FAVENTE ARCHIATRO!

SUFFRAGANTE

GRATIOSISSIMO MEDICORUM ORDINE

IN ILLUSTRI HAC VIADRINA,

DISSERTATIONEM INAUGURALEM,

DE

ABORTU,

SUB PRÆSIDIO

SPECTABILIS DOMINI DECANI,

DN. IRENÆI VEHR.

MED. DOCT. ET PROFESS. PUBL.

POTENTISSIMIq; ELECTORIS BRANDENBURG

MEDICI ORDINARII,

AC FACULTATIS SUÆ SENIORIS,

DOMINI PATRONI, PROMOTORIS & ADFINIS SUI

OMNI OBSERVANTIÆ CULTU ÆTERNUM DEVENERANDI,

PRO LICENTIA

SUMMAM IN ARTE MEDICA DIGNITATEM

ATQVE PRIVILEGIA DOCTORALIA

CONSEQUENDI,

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SISTIT

MELCHIOR BENJAMIN Kaldenbach

Miezierſiza Polonus.

D. VIII. JANUARII, ANNO M DC LXXXIV.

IN AUDITORIO MAJORI HORIS ANTE- ET POMERIDIANIS.

FRANCOFURTI AD VIADRUM,

TYPIS JOHANNIS COEPSELII, ACAD. TYPOGR.

INCOMPARABILI HEROUM PARI,
FRATRIBUS GENTE ET MENTE GERMANIS
SPLENDIDISSIMA DEMANDATORUM MUNIUM EMINENTIA,
CELSISSIMIS,
AVITA MAJORUM GLORIA ILLUSTRISSIMIS,
GENERIS ANTIQVITATE ATQVE SPLENDORE NULLI,
FAMILIÆ SECUNDIS,
STUPENDO VIRTUTUM STUDIO INCLUTISSIMIS,
MERITIS IN PATRIAM, RERUMQVE CUM DOMI,
TUM FORIS GESTARUM FELICITATE, GRATÆ
POSTERITATI
DEPRÆDICANDIS,
DOMINO
DNO. JOANNI DE BNIN
OPALINIO,
COMITI IN GORKA, RAWICZ & OSSECNA &c. &c.
SUPREMO MAJORIS POLONIÆ GENERALI, PALATINO
BRESDENSI, &c. &c. &c.
DOMINO
DNO. PETRO DE BNIN
OPALINIO,
COMITI IN RADLIN &c. &c. PALATINO
LENCICIENSI, CAPITANEO MEDERICENSI,
&c. &c. &c.

INVICTISSIMI POLONIÆ REGNI,

SUB UMBONE ET IMPERIO

AUGUSTISSIMI REGIS

JOANNIS III.

IMPERATORIS FORTUNATISSIMI

ET OB VICTORIAS DE BARBARIS REPORTATAS

IMMORTALIUM CHORO DUDUM ADSCRIPTI,

SENATORIBUS MAGNIS,

HEROIBUS,

PRUDENTIÆ & FORTITUDINIS FAMA

STRENUISSIMIS,

MUSARUM PATRONIS SUMMIS,

DNIS. DNIS. MEIS GRATIOSISSIMIS,

INAUGURALEM HANC DISSERTATIONEM

DEVOTISSIMA MENTE, SUBMISSISSIMA MANU,

OFFERO,

ILLUSTRISSIMARUM CELSITUDINUM

HUMILLIMUS ET OBSERVANTISSIMUS

CULTOR,

MELCHIOR BENJAMIN Kaldenbach/

POLONUS.



M. B. C.

§. I.



Um ex Vocum Notitiâ, ad illustriorem rerũ, qvas qværimus, indaginem manu qvaſi ducamur; Atqve è diverſo turbato Nominum uſu, rerum qvoqve ipſarum uſus turbetur: meritò Diſſertatio noſtra *de Abortu* initium ab evolutione Nominis accipit; præſertim cum metuendum ſit, ne *Homonymia* multifariâ hujus vocis ejusq; *Synonymorum* acceptione nobis imponat.

§ II. *Origo* qvidem *Nominis* in promptu eſt, cum facilè deducatur ab *aborior*, qvod idem eſt ac Abortum facio. Aut *Abortus* dicitur qvaſi abs re ortus, ut qvaſi non ortum vel fruſtra ortum ſignificet, juxta SENN. *Pr. Med. l.4. P.2. S.6. C.2. p. m. 397.* PLATERUS per ortum Fœtus qvaſi non tempeſtivum explicat, *Pr. T. 3. l. 2. c. 3. p. m. 472.* RODER. à CASTRO *de Morb. Mul. l. 4. c. 4.* Abortum qvaſi à naturali ortu remotum dicit.

§. III. *Synonyma* varia occurrunt, Latini præter Abortus, *Aborſus* qvoq; & *Abortionis* vocabulo ad deſignandum intempeſtivum Partum utuntur. Qvamvis aliqvi (accuratiùs, ut volunt, loqvendo,) binis prioribus Vocabulis potiùs legitimum ante Tempus excluſum Fœtum, qvam ipſum Morbum vel, ſi mavis, Symptoma, qvod *Abortio* dicitur, deſignent. Deinde nonnulli cum NONIO

MARCELLO iterum inter *Abortum* & *Aborſum* diſcrimen ponunt; Dicuntqve *Aborſum* Enixionem Fœtus in Conceptionis exordio; *Abortum* contra propè pariendi Tempus. At verò, an notabilis uſus ſit hæc vocum diſtinctio? meritò cum PILLINGIO *Diſſ. Inaug. de Abort. c. 1.* dubitamus.

§ IV. Græcis, ut aliqvi docent, dicitur ἔκρυσις ſ. Effluxio, ἀπὸ τοῦ ῥέειν, qvæ verò Vox non tam Abortum, qvam falſum Germen denotat, SENN. *l. c.* VARAND. *de Affect. Mul. l. 2. S. 4. c. 9. p. m. 305.* Porro dicitur ἔκτρωμα, ἔκτρωσις, ἐκτρωσμὸς, ἐκτρωμαλισμὸς, ἀπὸ τοῦ τιτρώσκειν, *damnum inferre*, qvod Fœtui aliqvo modo organizato contingere creditur, atqve, ut ARISTOT. 7. *de Hiſt. anim. c. 3.* putat, ſeptimo à Conceptione die usqve ad qvadrageſimum accidit, hocqve vocabulum Brutis inprimis attribui, eo ſenſu, qvo Germani dicunt, ſie haben verworffen/ autor eſt JUST. RUDOLH. Heydenreich/ *Diſſ. Inaug. de Abort. c. 1. p. 5.* Qvi verò Abortus à qvadrageſimo die usqve ad legitimum Partus Tempus rejicitur, ἀμβλυωσμὸς ſ. ἀμβλύωσις, ἀπὸ τοῦ ἀμβλεῖν, *languere*, dici putatur. Aliàs φθορὰ, ἀποφθορὰ, ἀπὸ τοῦ φθείρειν *corrumpere*, HIPPOCRATI audit, nec non ἀπόλλυσις, ἀπὸ τοῦ ἀπολλύεσθαι, *perdere*; Ceterùm, ſi verba rebus ſtrictius applicemus, ἀμβλυωσμὸς ſ. ἀμβλύωσις, potius is Abortus dicendus eſt, qvi debilitatem Fœtus pro cauſa agnoſcit; neqve video qvid obſtet, cur non etiam Partui legitimo imbecillem illum proferenti, Nomen hoc imponi poſſit. Germanicè dicitur, Eine frühzeitige Geburt oder Frucht/ item Es iſt den Frauen unrichtig gegangen/ ſie ſeynd zu zeitig eingekommen. Licet hic ultimus loqvendi modus etiam tunc adhibeatur, qvando aliqvot diebus ante legitimum parturiendi

riendi Tempus puerperium ingrediuntur, qvi tamen Partus nullo modo Abortus dicendus est, de qvo in sqq.

§. V. *Homonymiam* si contemplemur, præter propriam, Tropicam qvoqve significationem habet *Abortus*, dum pro insano ridiculoqve ausu sumitur. Ut si intempestive qvispiam & ante perfectionem justam aliqvid moliatur; aut quando Discipulus vult erudire Magistrum, *abortire* dicitur. Nonnunqvam sumitur pro exorto adjectivè, ut aborta Sidera. Plantis qvoqve & Arboribus à THEOPHRASTO *Abortus* attribuitur: sicut LUDOV. BONACIOL. Excretionem Seminis *Abortum* nominat. HIPP. *de Morb. Mul.* ὅταν, ait, ἡ γυνὴ ἐκτρώσῃ, καὶ τὸ παιδίον μὴ ἐξίῃ, *cum abortit Mulier & Puer non excluditur*; ut videatur ἔκτρωσιν etiam dixisse, cum Fœtus in Utero materno mortuus adhuc detinetur. Pariter PAUL. ZACH. Fœtum mortuum, etiamsi justo tempore edatur, *Abortum* dicendum esse putat, juxta SENN. *Pr. Med. l. 4. P. 2. S. 6. p. m. 398.* Sicqve cum ALPHONSO CARANZA consentire videtur, qvi *Abortum* dicit Extinctionem Fœtus. Deinde *Abortus* Exclusionem Fœtus bene formati, si ante legitimum Tempus accidat, indicat, adeò ut & Septimestris, ut tradit JOH. CONRAD. AXTIUS, *Dialog. de Part. Septim.* & Octimestris, ut JOH. RAPH. MOXIUS *de Morb. acut. curand. in Fœt. per V. S. c. 8.* habet, sub hoc nomine comprehendantur. Nonnunqvam etiam, *Abortus* pro *monstroso Partu* sumitur, qvæ tamen significatio maximè aliena est. Nostra qvæ sit mens in acceptione hujus vocis, disces ex Definitione Abortus, qvam talem damus.

§. VI. *Abortus est Fœtus Humani ante legitimum Tempus ex utero exclusio, sive vivus prodeat, sive mortuus.*

§. VII. *Genus* commune habet cum Partu legitimo. Differt enim ab ipso tantùm fere ratione Temporis legitimi, qvod anticipat. Dantur qvidem nonnulli, qvi jam tùm Mulierem abortivisse contendunt, qvando Fœtus mortuus, vel putrefactus, aut induratus in Uteri claustris adhuc continetur. Verum rectiùs VARANDÆI adsertum videtur, qvod habet *de Affect. Mul. l. 3. S. 4. c. 9. p. m. 304.* ubi scribit: *Etsi mortuus Fœtus, aut putrefactus & induratus ibi* (nempe in Utero) *aliqvando delitescat, non tamen prægnans prius Abortum passa dicitur, quam excreverit rem ejusmodi naturæ molestam ac alienam.* Et frustra secus sentientes se Verbis Hippocratis, §. 5. jam allegatis, fulcire conantur.

§. VIII. *Fœtus* Exclusionem dico, ut distingvatur *Abortus* ab illâ exclusione, qvâ rudis & indigesta Moles, vel Molæ diversarum Figurarum, de qvibus *Ephem. Germ. An. 1. Obs. 1. Schol.* referunt; vel Grumi Sangvinis, aut Pituita verminosa (qvalem in Matronâ non ignobili ante semestre spatium cum Tumore Abdominis observavi,) vel Flatuum aut Aqvarum copia, erumpunt. Qvi recensiti similesqve Casus nullo modo Abortus nomen merentur, qvin potiùs pro suppresso Mensium Fluxu vel saltem Mola habendi sunt, consentiente SYLVIO *Pr. Med. l. 3. c. 6. §. 54.* Ast sedulâ accuratâqve inspectione hîc opus est: contingit enim nonnunqvam, ut δύναμις πλαστικὴ Fœtus formationi intenta, primis statim diebus in negotio hoc impediatur, de qvâ re plura inferius: Hinc fit, ut nonnunqvam post decimam à Suppressione Mensium hebdomadem, Fœminæ massam carnosam ejiciant, in qvâ vix notabilis Fœtus occurrat; qvæ nihilominùs postea, educto circa hebdomadem octavam è Brachio

San-

Sangvine, nil ſimile in ſe animadverterunt, verum gravidæ deprehenſæ ſunt, atqve circa nonum Menſem Fœtum pepererunt vivum vitalemqve. SYLV. *l. c.* §. *56. 57.*

§. IX. Deinde nonnulli præter jam dictam rationem, hac qvoqve de cauſa in definiendo Abortu *Fœtus* nomen addunt, ut diſtingvant ipſum ab ἐκρύσει ſ. *Effluxione*, qvam primis in diebus contingere omnes ſtatuunt. Nimirum, qvod pleriqve cum ARISTOTELE putant, â primo usqve ad ſeptimum diem; vel, qvod SYLVIO placuit, *Pr. Med. l. 3. c. 5.* §. *24. 67.* intra triduum vel qvatriduum. Vid. plura hâc de re ap. VARAND. *de Affect. Mul. l. c.* ALEX. MASSAR. *Pr. Med. l. 4. c. 11.* Verùm, ut rationes â SENNERTO *l. c.* allatas prætercam, cum per experientiam hodie conſtet, Semen virile in fœminam ejaculatum, in generatione tantùm efficientis munere fungi, dum Spiritus ſeminalis â glutinoſis particulis ſeſe liberans, atqve ad teſticulum muliebrem penetrans, inibi maturius, vel magis diſpoſitum, aut poroſum Ovum intimiùs ſubit, uti præter HARVÆUM, ELSHOLTZ, *in Ephem. Germ. An. V. Obſ. 196.* it. Dn. D. RIVIN. *Diſſ. de Spir. Hom. Vital. c. 3.* §. *12.* tradunt. Qvilibet facilè videt, qvid de hâc Veterum ἐκρύσει ſtatuendum ſit. Certè, id qvod intra ſeptiduum, aut etiam poſt nonnunqvam, ex compreſſarum Mulierum Genitalibus effluit, potius pro Humore ex Glandulis Vaginæ Uteri exſudante, aut pro eo, cum qvo ſimul virile Semen fœcundum delatum fuit, habendum eſt; poteſtqve hic effluxus fieri ſalvâ Conceptione. Adeo ut ἔκρυσις, qvalem Veteres credidere, nullo modo locum habeat. Si verò ſecundum hodierna principia, Ovum, qvod Utero, ante jacta partium manifeſta rudimenta, excidit, vel quod per Tubæ anguſtias penetrans frangitur, uti non-

nunquam contingere posse autumat ELSHOLTZ *l.c.*, ἐκρύζιν nominare velis, adeò non repugnaverim. Quantum verò ad Ovum, quod ex utero compressarum Mulierum exclusum nonnunquam legimus, ut potiùs pro verò id habeamus Abortu, quam merâ effluxione, persvadet nobis Observatio KERKRINGII, quam habet *Anthropog. Ichnogr. c. 2.* Ubi nimirum post tres vel quatuor à Conceptione dies Fœtum formatum in Ovo, Cerasi magnitudinem æquante deprehendit.

§. X. Cumque, quod supra innuimus, potissima Abortus conditio à Tempore desumenda sit, non sine caussa in Definitione *ante legitimum Tempus* addidimus: Distingventes hoc modo Abortum ab ipso Partu naturali. Est enim & hic Exclusio fœtus, sed tempore legitimo facta. Quippe sicut animalia omnia suæ Magnitudinis & Temperiei, ita & gestationis & Partus determinationes habent. Legitimum verò Tempus audit, qvod solitum in hoc negotio ac consvetum est, & utplurimûm à Natura servatur. Hoc inprimis determinatur à perfectione & vitalitate Fœtus. Fœtus autem vitalis & perfectus est, qui non solum ad vitam, sed & ad robur partium absolutus est. Absolutus verò ad utrumque judicatur, qui non solùm vivus in lucem prodit, verùm qui insimul aptus est in vitâ permanere, quique totius corporis organici formationem habet. Aptitudo verò hæc, cum, ut contingens, latitudinem suam habeat, dum alios tempestiviùs, alios segniùs prodire videmus, Partus Tempus angustioribus terminis includi haud poterit, quin potiùs ipsi latitudo quædam necessario concedenda; verum, quod WEDELIUS monet *Physiol. S. 3. c. 31.* juxta æqvum & bonum. Vid. PAUL. ZACH.

Quæst.

Quæst. Medico-leg. l. 1. Tit. 2. Qv. 1. Amat enim Natura sæpè evagari, & legem hanc servare stabilem, ut nulla sit lex, quam ipsi non liceat aliquando infringere, & liberiùs ludere, cùm in rerum omnium, tum vel maximè in Corporis humani conformatione; uti eleganter loquitur KERKRING. *Præfat. ad Osteogen. Fœt.*

§. XI. Petendus itaque legitimus Partus Terminus à posteriori venit. Cumque frequentiorem nobis circa finem noni & initium decimi Mensis perpetua & invariata Observatio obtulerit; legitimum partus Tempus in Mensem nonum & decimum cum plerisque Physicorum & Medicorum ponimus. Nimirum maximè legitimum pariendi Tempus, & quo plerique Fœdus in lucem eduntur, est Mensis nonus & decimus, à die decimo quinto noni Mensis, ad diem decimum quintum decimi Mensis tum enim πλειοχνίαν Fœtum assecutum esse, & propter defectum sufficientis alimenti & uberiorem Aëris accessum, ad exitum properare, cum MOEB. *Fund. Physiol. c. 20. §. 45.* ARNIS. *de Part. Hum. legit. Term. §. 15.* AMMAN. *Parænes. c. 4. §. 28. p. m. 34.* BOHN. *Exerc. Physiol. ult. §. 1. & 6.* putamus. HARVÆUS *de partu*, usitatum Uteri gerendi computum, eum Terminum servare adserit, quem Christum Salvatorem nostrum, Hominum perfectissimum, in Utero Beatæ Virginis Matris suæ emensum fuisse, piè credimus. Quod eo lubentius amplecteremur, modo in Sacris Literis hujus Temporis, ut certi facta esset mentio. Accedit insimul, quod de eo die Nativitatis Θεανθρώπȣ, quem hisce in diebus devotè celebravimus, apud Veteres Ecclesiæ Doctores plurimum dubitatum fuerit, ut ex CLEM. *l. 1. Strom.* & EPIPHAN. *l. 2. Tom. 1. Hær. 5.* patet. Quamvis hanc controversiam, ve-

luti quæ ad aliam Cathedram ſpectat, noſtram nunc facere adeo non cupiamus.

§. XII. Jam verò cum enitendi Tempus in præcedentibus quodammodo determinaverimus, dubium oritur: an nulla Fœtus Excluſio, alio Menſe vel citiùs, vel tardiùs facta, dici poſſit Partus legitimus? præſertim cum multorum Scriptorum Obſervatione & Autoritate conſtet, etiam alio tempore, longiùs adhuc à nono Menſe remoto Fœtus fuiſſe editos vitales. Sic MONTUUS Hiſtoriam refert Pincernæ Galliarum Regis Henrici, quinto Menſe nati, qui illius ævo ætatis fuit conſiſtentis. A CARDANO *Tr.3. l.1. Contradict.4.* mentio fit Comitis de Trivultiis, quæ ſub id Tempus juvencula apud Comitem S. Secundi degebat, quinto Menſe editæ; Obſervationemque propriam Fœtus quinto Menſe editi addit BENED. SYLVAT. *Conſ. & Reſp. Med. Cent. 4. Conſ. 64.* Sic NICOL. FLORENT. FERD. MENA, *Com. in Hipp. de Septim.* VALLES. *Comment. in Epid.* SPERON. *in Dialog. de Part.* HOR. AUGEN. *i. de Part. c. 20.* AVICENN. *l. 9. de Nat. animal. c. ult.* allegante ARNISÆO *l. c.* §. 77. exempla plura, partim viſa, partim audita adferunt, quibus, ſexto Menſe vitalem poſſe edi Fœtum, acriter contendunt: ſimilemque Obſervationem Fœtus 163. dierum, vivi editi D. D. FRID. MOLLERUS, MED. ELECT. BRANDENB. exhibet, de quo duodecim annos in foro fuit litigatum, tandemque deciſum, quod ſit legitimus Partus, utut Sexti Menſis ſolum fuerit. Videri hic quoque meretur D.D. AMMAN. *Med. Crit. Reſp. ad Caſ. 68.* De ſeptimeſtri & Octimeſtri Partu hodierna luce nullus ferè dubitat, omnesque pene adfirmant, illos eſſe vitales & legitimos.

§ XIII.

§. XIII. Verùm pace tot tantorumque Virorum liceat nobis paulò aliter ſentire, atque, uti ſuperiùs innuimus, naturalem certumque Partus Terminum in Homine, æque ac ceteris animalibus, præſupponere: ut, veluti reliqua animantia, ſuæ ſpeciei determinatum congruumq; naſcendi tempus habeat, decenti latitudine, ut in ceteris, minimè deſtitutum; quæ nonum & decimum Menſem comprehendat. Cum enim Fœtus hiſce duobus Menſibus editi non ſolùm vitales exiſtant, verùm ſuâ quoque bonâ conformatione juſtam perfectionem ſe adſecutos eſſe teſtentur; meritò hos naturali & maximè legitimo Partu editos eſſe, adfirmamus. Ceteri verò antè hoc ſtatutum Tempus prodeuntes, ſive Quinquimeſtres, ſ. Semeſtres, ſ. Septimeſtres aut Octimeſtres fuerint, licet vitales nonnunquam exiſtant, cùm tamen ſemper aliquam imperfectionis notam adferant; dum vel Suturâ coronali nimiùm hiante & adapertâ, aut ventre adeò pellucido, ut interiora omnia intuentibus pateſiant, aut auriculis ab Oſſe Temporis mirum in modum divulſis, aut labiis imperfectis Sangvinemq; reſudantibus, in lucem veniunt, uti adnotarunt PAUL. ZACH. *Quæſt. Medico-leg. l. c.* §. *86. p. 30.* PETR. BORELL. *Hiſt. & Obſ. Medico-Phyſ. Cent. 1. Obſ. 71. p. m. 75*: Aut, etiamſi ſani edantur, binis tamen primis Menſibus ferè dormiunt, nec niſi valetudinarii poſt adſumtum alimentum vigiliis exercentur & torquentur, teſte SYLV. *Pr. Med. l. 3. c. 7.* §. *35. 36.* Ecquid aliud atteſtari poſſunt, niſi prodierint? quod ante tempus ortui ſuo deſtinatum expulſi. Cùm inſimul ſpatio Temporis reliqui jacturam ſuam integritate Organorum compenſent. Vid. iterum BORELL. *l. c.* SYLV. *l. c.* Hoc tamen differentiæ inter Quinquimeſtrem, Semeſtrem, Septimeſtrem, &

 Octi-

Octimestrem intercedit, quod respectivè ad Tempus inter se differant: Et priores ob omnimodam imbecillitatem & deficientem vigorem, maximamque distantiam à totâ sua perfectione, nullo modo morbificam causam superare possint; Cum Septimestribus & Octimestribus adhûc possibile sit diuturniorem vitam agere, tanquam validioribus, & qui majorem vigorem ex majori alimenti copiâ adepti sunt, & minùs à naturali perfectione distant: licet, quod ferè omnes Autores confirmant, ut valetudinarii vitam breviorem consumant. PAUL. ZACH. *l. c p. 29.*

§. XIV. Sunt quidem nonnulli Physicorum & Medicorum, qui Quinquimestres & Semestres Partus è numero legitimorum ejicientes, Septimestrem tamen & Octimestrem non solùm vitalem, sed & naturalem & legitimum esse adfirmant; qvod nonnunquam Fœtus solito robustior septimo vel octavo Mense prodeat. Licet vero haudquaquàm negem, Naturam sui juris esse & nonnunquam evagari, attamen tam amplum evagandi spatium sibi sumere vix credo. Neque video quid obstet, cur non etiam Quinquimestris & Semestris Partus hoc modo dici possit vitalis & naturalis, æque ac Septimestris & Octimestris? Accedit, quod certitudo hujus adserti à Mulierculis petenda sit, fallere viros doctis. Uti aliquoties credulos Medicos fefellisse, Fœtumq; qui Nonimestris erat pro Septimestri ipsis obtulisse constat. Unico certè LUDOVICO intra paucorum Annorum decursum vel decem novisse contigit, quæ ipsi, Uxorique ipsius, aut necessariis suis, copulam antê copulationem fassæ sunt, riseruntque tacitè & in sinu judiciorum absolutiones; Idemq; multos novit ab Obstetrice Socruve suâ objurgatos,

tos, quod Puerperas, nec sub primis fervoribus renitentes, vel tertio quartove die nimiùm & ultra scamna amaverint. Vid. EPHEM. GERM. *An. VIII. Obs. 69.* Confer. PAUL. AMMAN. *Med. Crit. Cas. 47.* Cumque certum ingravidationis signum, generationis operi nonnunquam minùs attentæ vix habeant, quomodo ipsis de legitimo Partus Termino constabit?

§. XV. Ut hinc pateat posse quidem Fœtum Septimestrem & (qui majorem adhuc præ illo prærogativam habet, vid. EPHEM. *l. c.*) Octimestrem vitalem esse; At vero cum sibi solus ad vitam ulteriorem peragendam rarò sufficiat, sed ad statum usque Tempus singulari plerumque diligentiâ refocillari postulet, nonnunquam insuper in perfectionis consumatione aliquantulùm deficiat, debilioris que valetudinis & brevioris vitæ sit; legitimo & naturali Partu ipsum editum fuisse, dici haud poterit: Quin potiùs statuendum semper hic causam morbificam concurrere, suoque modo quasi quendam Abortum esse. Neque Themidos Vatum Autoritas obstabit: quippe quæ tali in casu à Medicorum Decretis dependet. Sed hæc nihilominùs penitioris inquisitionis causâ dicta à nobis sunto: salvo aliorum judicio. Utque pauca de Undecimestri, & qui longius post Tempus contingit, Partu dicam; Datur quidem Undecimestris: rariùs, imò rarissimè Duodecimestris: ultra quod Tempus vix prolongatur legitimi Partûs Terminus. Cumque Partus hic, licet non semper, utplurimùm tamen vitalis sit, talis etiam dici meretur. Cum verò etiam à causâ morbificâ, utpote Mœrore & Sollicitudine Matris, juxta SYLV. *Pr. Med. l. 3. c. 2. §. 63.* infirmatus Fœtus tunc temporis prodeat, naturalis, sensu medico, vix dici poterit.

§. XVI. Porrò Fœtum, *sive vivus* prodeat *sive mortuus*, modo intempestivè nascatur, Abortum dicendum esse, in Definitione adseruimus. Ubi dissentientes quidem offendimus aliquos, qui Fœminam tunc tantùm abortivisse credunt, quando mortuus Fœtus antè Tempus rejicitur; uti facit PILLING. ex autoritate SENN. *Diss. Inaug. de Abort. c 2.* Verùm cùm nonnasci & natum mori paria sint, omnesque ferè Fœtus imperfecti & intempestivè editi, quamvis vivi prodierint, tantùm per aliquot Horarum, dierum aut Hebdomadum spatium, debiles inter vivos subsistant; meritò pro non ritè natis, atque per consequens pro Abortibus æstimandi sunt. vid. PAUL. ZACH. *l. c. l. 1. Tit. 2. Qv. 10.* *Fœtus* autem *humani* Exclusionem quare Abortum dixerimus, quilibet facilè intelliget, cui verum & genuinum Medicinæ Subjectum notum fuerit.

§. XVII. Ex *Utero* denique excludi Fœtum in Definitione addidimus: ut SUBJECTUM in Abortu affectum simul indicaremus. Ubi meminimus quidem ex Observationbus Medicorum, Fœtum nonnunquam per Umbilicum, Abdomen, Ingvina aut Anum exitum quæsivisse; uti SCHENKIUS aliique adnotarunt, vid. MATTH. MORON. *Direct. Med.* Imò ipsum aliquando Vomitu rejectum fuisse, præter BERNH. MONTAN. CASP. à REJES. *Qv. XC. Elys. Camp. §. 16.* BARTHOL. *Anat. renovat. p. 270.* it. *de insolit. Part. Viis, c. 8.* EPHEMERIDES GERMANORUM *An. 1. Obs. 108.* novâ Historiâ confirmant. Verùm has aliasque vias, quas natura nonnunquam more insolito sibi quærit, lubenti præterimus animo; præsertim cùm Exempla illa non Abortum tantùm, sed simul aliam constitutionem Corporis præternaturalem involvant.

Nunc

Nunc autem ad diligentiorem *Subjecti* perluſtrationem properamus. Faciliùs quippe in notitiam Morbi ipſiusq; curæ venimus, ſi prius Sedem ejus oſtenderimus; monente CORN. CELS. *l. 4. de re Med. c. 1.*

§. XVIII. SUBJECTUM itaque *Abortus*, etiam illius, qui inconſvetâ viâ prodit, *ut* QUOD, (à LINDENIO *Repræſentativum* dictum ſ. παραστατικὸν, quod repræſentat Morbum) Fœmina eſt; quippe cui ſoli competit Uterum gerere & parere. *Ut* QVO, (â LINDENIO *Subſtantivum* ſ. ὑποστάσεως nuncupatum, quod nimirum moleſtiam ſuſtinet,) *idemq; abſolutum* & *Totale*, Corpus eſt; *Limitatum* ſ. *Partiale*, Uterus.

§. XIX. UTERUS verò (ut Conſtitutionem ejus ſecundum Naturam quodammodò explicem) eſt illa corporis fœminini Pars, quæ Subſtantiâ membranosâ & nerveâ conſtans, in Hypogaſtrio ſ. infima Abdominis parte, quæ Pelvis dicitur, & ab Oſſe ſacro & Ilei conſtituitur, ſita, Hominis generandi formationi & augmentationi inſervit. *Situm* accepit ſ. n. in mediâ Pelvis cavitate, in quâ certis *Ligamentis*, duobus *latis*, quas Alas Veſpertilionum vocant, & duobus *rotundis* ſuſpenditur; quæ etiam cavitas amplior in Fœminîs ideò conſpicitur, ut locum habeat Uterus diſtenſioni idoneum, quam accreſcens Fœtus poſcit. Simili de cauſa *Membranoſam* quoque nactus eſt *Subſtantiam*, ut nimirùm pro formando fovendoq; Fœtu ampliari, eodemq; per Partum excluſo, iterùm ad decentem magnitudinem redire poſſit, cui fini an inſimul *plicæ* inſervinnt, quibus interiùs Uterum à Natura donatum eſſe aliqui volunt: neſcio. *Membranæ* verò Uterum cingentes *duæ* ſunt, *Communis*, quàm â Peritonæo habet, quáque mediante validiſſimè

 inte-

inteſtino recto, Veſicæ aliisq; Partibus adjacentibus adnectitur, externam ipſius faciem undique tegit. *Propria* interiorem ejus contextum fibroſum ac ſpongioſum, quem propriam Uteri Subſtantiam ſ. παρέγχυμα dicunt, undique circumveſtit & perreptat.

§. XX. Hæc Uteri *Subſtantia*, quôd *Affectiones* & *Attributa* ejus attinet, pro ratione Ætatis, Menſium & Fœtus geſtationis, aliarumq; circumſtantiarum, mirum in modum variat. In Virginibus juvenculis tenerior ejus eſt Subſtantia, in adultioribus denſior. Inſtantibus & fluentibus Menſibus nonnihil intumeſcit, detumeſcitq; iterum ceſſantibus. Gravidis, ob copioſiorem Sangvinis adfluxum, pro Fœtu alendo ſummè neceſſarium, rara fit & quaſi ſpongioſa, duorumq; digitorum craſſitiem fermè adæquat.

§. XXI. Hinc & *Magnitudo* ejus varia, pro Mulieris ætate, Temperamento, libidinis uſu, corporis proceritate, Fœturâ aut Sterilitate, &c. In Puellis Ficus majuſculæ magnitudinem haud excedens Uterus, exſangvis, albus & Venis quaſi ſpoliatus conſpicitur. In Virgine nubili pyriformis eſt. In Sterilibus Virginum Utero ſimilis permanet. In fœcundis & ad concipiendum aptis parvam Cucurbitulam aut Ovum Gallinaceum amplitudine æquat. In Gravidis ad Fœtus incrementum augetur, adeô, ut cum ante ingravidationem ſacri Oſſis initium Uteri fundus non ſuperaverit, jam ad Umbilicum & ultra etiam extendatur, ut tenuibus Inteſtinis incumbat. In Vetulis retractus, flaccidus, pallidus, Venis & Sangvine carens obſervatur. vid. BARTHOL. *Anat. renovat. p. 161.* HARV. *de Part.* it. ZORN. *Diſp. Inaug. de Abort. p. 10.*

§. XXII.

§. XXII. In hanc Uteri Subſtantiam anfractuoſo ductu terminantur Vaſa ſangvifera *Arteriæ* & *Venæ*, partim à Spermaticis, partim ab Hypogaſtricis ramis oriundæ; qvæ per Anaſtomoſin unitæ, qvod in gravidis luculenter patet, non ſolum Utero ſed naſcendo qvoq; fœtui alimentum ſuppeditant, & utriusqve Saluti proſpiciunt. Hæc Vaſa Sangvifera in Gravidis aliqvando ad tantam amplitudinem perveniunt, ut digitum in eorum cavitatem immittere liceat, donec ceſſante Lochiorum Fluxu, paulatim cum Utero priſtinam qvaſi figuram recuperent. vid. GRAAF. *de Mul. Org. Generat. dicat. p. m. 246.* Hæcqve ſunt iſta Vaſa, per qvæ lunare tributum in juſtæ ætatis Mulieribus ad genitale arvum defertur, atqve per qvæ refluens Sangvis, ad acqvirendam novam virtutem Cordi iterum infunditur. Præter hæc Vaſa Sangvinem ad- & re-vehentia, *Nervos* qvoqve Uterus ſuſcipit, Spiritibus animalibus ad ipſum adducendis deſtinatos; qvi duplici viâ ad uterum tendunt, nempe tum à propaginibus Sextæ Cerebri conjugationis, tum ab Oſſe Sacro. Hi pauciores ad ſupremam fundi partem, iiqve retis modò invicem impliciti; copioſiores ad fundi partem inferiorem, Uteriqve Collum & partes circa pudenda feruntur. WILLISIO autore ad Teſtes à plexu Meſenterii maximo fibræ nerveæ inſignes mittuntur, & aliæ propagines à Nervi intercoſtalis trunco, aliæqve à Nervo, qvi inter hunc plexum & Abdominis infimum intercedit, exeuntes, conveniunt: Hincqvê Paſſionis Hyſtericæ ortum explicat. Ab Utero plurima qvoqve oriuntur *Vaſa lymphatica*, Lympham ad Cor deducentia. Hæc externam ejus Subſtantiam perreptando ſenſim coëunt, & rivulorum adinſtar augeſcunt, donec ad

magnum

magnum Chyli Lymphæqve receptaculum, ubi terminantur, pervenerint. Hæcqve procul dubio ſunt qvæ BARTHOLINUS pro Vaſis lacteis deſcripſit, *c.3. de Lact. Thor.* vide GRAAFF. *l. c. p. m. 247.*

§. XXII. *Fundi* nec non *Colli* uterini dum in præcedentibus facta eſt mentio, partes præcipuas, in qvas tota Uteri Moles dividitur, ſimul indigitavimus. Dico præcipuas: Nam Anatomici diſtinctius de Diſſimilaribus qvas vocant Matricis partibus tradituri plures nominant. Nempe & *Fundum*, & *Collum*, & præterea *Cervicem*, *duasque Tubas Fallopianas* dictas, Cornuum (qvæ in Brutis maximam uteri partem abſolvunt) qvaſi æmulas. *Fundus* ſuprema ac potior Uteri pars Fœtui domicilium præbet. *Cervix* ſ. *Collum minus*, media inter Fundum & Collum majus pars, deſinit ad *Orificium interius*; cujus uſus non ſolùm ad ſuperflua eliminanda ſed & neceſſaria admittenda. Huic tertia pars *Collum majus* ſ. *Vagina* continua eſt, Membri Virilis receptioni primariò dicata. In cujus fine conſpiciuntur *Carunculæ* aliquot *myrtiformes* appellatæ, quæ *Clauſtrum Virginale* fortaſſis utplurimùm, arctiori per fibrillas & membranulas cohæſione, conſtituunt; Quamvis & hoc circa medium Vaginæ peculiari membranâ conſtans deprehenſum eſſe Obſervationibus traditum ſit. Qui verò in Vaginam uterinam implantari *Meatum Urinarium*, *Veſicæq́; Orificium* hîc deprehendi contendunt, magnopere falluntur; uti pluribus docuit SYLV. *Pr. Med. l. 3. c. 4.* §. *47. & ſqq.* Eſt enim *Orificium Veſicæ* potius in Externo muliebri Membro conſpicuum. Cujus Partes, *pudendas* vulgo dictas, qvoniam ſatis expoſitas dedit cum aliis Anatomicis ROLFINCIUS *Ord. & Meth. cognoſc. Part. generat.*

Part.

Part. II. cap. 34. & seqq. modeſtiùs me de iisdem taciturum quàm ſcripturum exiſtimo. *Tubæ* utrinque Fundo Uteri adnatæ, ſuper ligamenta lata, quibus arctè adhærent, pergunt ad *Teſticulos* olim dictos, hodie *Ovaria* vocata Mulierum. Cùm quibus quomodo extra gravidationis tempus, quomodo tempore imprægnationis, magis minùſve conjunctæ; quævé alia illarum pariter ac Ovariorum conſtitutio ſit, cum paucis explicare non liceat, liceat interim nobis B. L. ad eos remittere, quorum opera noſtrâ ætate in hoc negotio verſata eſt. Nimirum GRAAF. *l. ſ. c.* SCHVVAMMERDAMMIUM *de Miracul. Nat.* BARTHOLIN. *Anat. renovat.* &c.

§. XXIV. Hæc facies Organi fœminini Hominum generationi inſervientis. Cujus *uſus* primarius eſt Generationis principia concipere, concepta retinere, fœtum incubatione qvaſi fovere, formationem qvodammodo adjuvare, formato nutrimentum ſuppeditare, perſectumq; & vitalem in has auras, allaborantibus aliis partibus fœtuque ipſo, excludere. Secundariò quoq; Individui conſervationi proſpicit, dum ſuperfluam Sanguinis copiam ſtatutis temporibus expurgans Mulierũ Sanitati tuendæ præeſt. Eſt enim, teſte HARVÆO *de Part.*, Pars principalis, quæ totum corpus facilè in conſenſum trahit, omniumq; Morborum Muliebrium cauſa evadit. vid. ZORN. *l. c* §. *23. p. 12.*

§. XXV. Delineatâ ſic, rudi quamvis penicillo, Uteri Conſtitutione, pauca adhuc, quæ circa Abortus *Subjectum* notanda veniunt, adjiciamus; ut nimirùm etiam de *modo*, quo Subjectum Abortus eſt, conſtet. *Subjectum Subſtantivum* illudque *Partiale* ab aliquibus cum agnoſcatur geminum, videlicet LOCUS & FOCUS; Subjecto noſtro etiam hæc diſtinctio applicanda erit.

Locus itaque, cùm ſit Pars affecta, ſemper in *Utero* quærendus. Focus verò, ut Subjectum cauſale, tunc in *eo* reperietur, qvando per ἰδιοπάθειαν Uteri, nullo alterius partis affectu præcedente, abortus oboritur. Si verò per συμπάθειαν, per alterius partis vitioſam communicationem, in conſenſum rapiatur Uterus, in *parte communicante* FOCUS hærebit; ceu clarius ex αἰτιολογίᾳ patebit.

§. XXVI. Tempus enim eſt ut acceſſum faciamus ad inveſtigationem CAUSARUM; Cui eò lubentiùs incumbimus, quôd ſine harum cognitione certa Morbi natura, felixqve ejus cura nulla concipi, nedum inſtitui poſſit, ſummaque Medici peritia ſit Morborum cognoſcere cauſas.

§. XXVII. Ἄμεσος ſ. IMMEDIATA Abortus CAUSA, eſt Vteri p. n. apertura, quà Orificium internum; quave fundum & Cervicem Coarctatio. Quamvis hæc cùm illâ ita conjungatur, ut ſimul cauſæ illius rationem habeat, ceu ex ſequentibus patebit: Illa hanc ita comitetur, ut tempore quandoque prior, atque occaſio quaſi qvædam hujus habeatur; Nec ſine illa hæc ad Excluſionem Fœtus intempeſtivam per Uterum ſufficiat. Utriusqve verò Originem proximè utplurimùm derivandam exiſtimamus à Fibrarum & Tunicarum Uteri præſertim in Fundo & Cervice, præmaturâ *Contractione*; quàm tamen aliquando præcedit nimia earundem *diſtractio* ſ. *Relaxatio*, inprimis earum quæ circa Orificium internum ſitæ & diſpoſitæ ſunt.

§. XXVIII. *Contractionem* porro præmaturam dictarum Uteri fibrarum, Spiritui in iisdem intempeſtivè exagitato aut rarefacto acceptam ferre liceat. Nimirum

rum dum ille exagitatus aut rarefactus amplius ſpatium acqvirere conatur, non poteſt non Fibras qvibus includitur diſtendere, & diſtendendo abbreviare. Cumq; abbreviatio hæc verſus fundum Uteri contingat, non ſolùm Cavitatem Uteri coarctari ſed & Orificium ejus retrahi, ſicqve aliqvo modo amplius reddi neceſſe eſt.

§. XXIX. Exagitari aùtem aut rarefieri Spiritum ſtatuimus à *Sangvine*, ſive *copioſius affluente*, ſive particulis fermentabilibus *nimium turgente*, ſive *nimis acri* & fibras ſenſiles vellicante. Qvo modo qvoqvé à violento qvovis tangibili ſ. Objecto inproportionato, fibris infeſto, Spiritum exagitari arbitramur.

§. XXX. *Relaxationem* deinde & *Diſtractionem* Fibrarum qvod concernit, eam vel ab *Onere* premente, vel ab *humido* in ipſis Fibris coacervato & emolliente provenire putamus.

§. XXXI. Qvæ omnia ut rectius intelligantur faciet REMOTIORUM CAUSARUM Evolutio, de qvibus ordine eô tradere fert animus, ut primûm de illis diſpiciamus, quas *Præternaturales* vulgo vocant; cum efficaciſſimæ hæ ad Abortus productionem, & vis earundem maximè manifeſta ſit: Deinde *Nonnaturales* exponamus; deniqve *Naturales* tangamus: Cauſandi, quem vocant, modô, quantum per brevitatis propoſitum licebit, ſingulis adjectô.

§. XXXII. Faciam autem in illarum commemoratione, ad exemplum SYLVII *Pr. Med. l. 3. c. 6.* §. *60.* initiûm à *Plethora* ſ. *Abundantia Sangvinis*, paucis poſt conceptionem hebdomadibꝰ utplurimùm, aliâs & ultimo tempore eveniente, in fœminis potiſſimùm copioſum Menſtruorum fluxum pati adſvetis. Nimirùm hæc eſt, àquâ

 frequen-

frequenter ſatis Abortum proficiſci cum laudato Autore experiuntur attenti ad res ægrotantium Medici; Confirmante id nobis ſuo Calculo Excell. DN. PRÆSIDE, *Hodogetâ nunquam ſatis Venerando*, cujus multiplici experientiæ facilè fidimus. Proficiſcitur autem ab illâ, interveniente ferê immodico Menſium, per ipſum inprimis Uteri fundum erumpentium, fluxu. Etenim dum occaſione imprægnationis & ſubſiſtentium ejus causâ Menſium, Sangvis in toto corpore coacervatur, nec in fœtus nutritionem placentæque productionem magnoperê conſumitur, non poſſunt non ab onere illius contenti, vaſa continentîa, inprimis ea quæ circa Uterum ſunt, qvæve aliàs menſtruatim elabendi rimam ei concesserunt, diſtendi; diſtentaque tandem, dum ipſe exitum urget, aperiri; & aperta ſimul erumpendi fores illi concedere. Propter quam eruptionem, ſi in Uteri cavitatem contingat, turbari generationis negotium neceſſe eſt, conceptu laxius Utero adhærente, fœtuque tenello, per Sangvinis copiam obrutis; communicatione cum maternis vaſis abrupta; Uteri orificio interno, per Sangvinem intra Matricem cumulatum & ſæpe acrem ac grumefactum, ſtimulato & tandem hiante, fundique & Cervicis contracturam ſimul ſollicitante. Quid? quod & Sanguis circa Uterum majori in copiâ ſeſe offerens, Spiritus fibris incluſos rarefaciendo, contractionem earum verſus fundum urgeat, ad quam Abortum ſequi in ſuperioribus dictum eſt. Si verò per Vaginam Uteri ſimiliter immodicè & copioſè erumpat Sangvis, fit tandem ut depleto nimis Sangvinis penu, non ſuppetat Naturæ ſufficiens ad augendum & alendum conceptum materia: unde ejus debilitas & deniq;

Mors,

Mors, juxta *Aph. 60. Sect. 5.*, hinc exclusio. Ubi notari meretur, quod dixi: *Immodicè & copiosê.* Ne qvis objiciat nobis Observationes Scriptorum Medicorum, quibus constitit, Matres sine detrimento fœtus aliquoties & ad dimidium usque gestationis Tempus Menstrua expertas fuisse. Ad modicum enim Mensium per vaginam erumpentium fluxum Abortum sequi adeò non necessarium est, ut ejusmodi excretionem potiùs ex re & commodo fœtus esse aliquando, lubentes largiamur. Cœterum Exempla illius, illâ, quam diximus, de causâ concitati, inveniet qui volet apud JOH. DAN. HORST. *Obs. Anat 5.* SMET. *Miscell. curios.* SOLENAND. *Consil.* 14. HILDAN. *Cent. 3. Obs. 59. p. m. 243.*

§. XXXIII. Atque quemadmodùm subtractione Alimenti immodicos Menses ad abortum concitandum conferre ostendimus, ita & *Album* Mulierum *fluxum*, si modum excedat, intempestivam Fœtus exclusionem eâdem ratione promovere posse, uti annotavit LUDOV. BOURGEOIS *Lib. Obstetr. l. 3. c. 3.* nullum dubium est. Nam cum paucus est ille fluor, uti conceptionem non impedit, ita nec gestationi obstat; juxta varias Autorum Observationes, quas brevitatis causa omittimus. Accedit, quod pertinacior Leucorrhœa *Cacochymiam* etiam prodat, Causam Abortus pariter planè efficacem. Cujus causandi quidem modus pluribus exponi posset, sed cum is ex seqq. etiam qvodammodo elucescat, sufficiet hoc loco paucis indicare: quod Symbolum suam conferat, aliàs nutrimentum Fœtus inquinando & corrumpendo, eumq; enecando; aliàs Mensium immoderatum fluxum juvando, aliàs alios affectus, à quibus Uterus, sive per se, sive per consensum malè habet, producendo.

§. XXXIV. De iis verò atque reliquis, ad hunc Præternaturalium Causarum Censum spectantibus, ut constet, accusandi nunc nobis porro *Flatus*, sive in ipso Utero contenti, sive partibus aliis inclusi, earumque distensione angentes, & dolores non leves concitantes. De his res clara erit ex seqventibus. De illis AVICENNA: *Dixerunt*, scribit, *quod sit plurimùm Abortus ex ventositate,* (nempe Uteri) *& veritas est iste Sermo. Qvos qvidem Flatus, meâ sententiâ, propter multas evidentes rationes, negandum non est posse Abortum facere.* Nimirùm dum Flatus Uterum distendunt, ejusq; latera â lateribus Conceptus deducunt, facilè teneri illi nexus, quibus invicem conjunguntur, abrumpi possunt; eamque rupturam excipiunt deinde Causæ proximiores aliæ ad Abortum tendentes. Adde *Dolorem* quem *Emphysema Uteri* infert; à quo quidem originem habere hoc malum facilê sibi persvaderi patietur, qui ad alios aliarum partium dolorosos affectus ipsum sequi animo pensitaverit.

§. XXXV. Namque, ut summatim dicam, vix est insignis aliqvis Corporis *Dolor*, imprimis si diuturnior aliquantò sit atque Fœminas teneriores corripiat, qui non periculum Abortus secum trahat. Id quod fit, quoniam inter Dolores Spiritus Matris magnoperè distrahuntur, qui non tantûm Spiritus in Fœtu in consensum rapiunt, sed & denique, individui conservationi unicê intenti, deserunt planê fœtum ampliùs nutriendum & perficiendum, sicque Abortui viam sternunt. Unde *Colicam*, (quæ non rarò Cacochymiæ pituitosæ & acidæ, aut flatibus debetur) *Dysenteriam, Cardialgiam, Pleuritidem, Tenesmum, Stranguriam cum ardore, & Inconti-*

continentiam Urinæ cum excoriatione Pudendorum conjunctam, Lumborum Dolores, &c. Abortum intulisse, observatum non semel est. Possentque in eam rem varia variorum testimonia adduci, nisi brevitati studendum esset. Qvare HIPPOCRATIS tantum de uno alterove illorum, unum alterumve effatum notatu dignum apponere sustinemus. Nempe de *Tenesmo aph. 27. S. 8. Si Prægnanti Tenesmus supervenerit: Abortus est causa.* De *Ventris & Lumborum dolore* Locum ex *lib. de Morb. Mul.: Si Mulier qvæ Uterum gestat Ventris aut Lumborum dolore conflictetur, metus est ne ruptis Membranis, qvem optimè cingunt, abortione ejiciant.* Adnectimus qvin etiam *de Excoriatione Pudendorum dolorosâ,* ab *Incontinentia Urinæ* profectâ, propriam Observationem. Contigit enim nobis non ita diu nosse Generosam qvandam Fœminam Sarmaticæ Gentis, qvæ qvod primis Conceptionis Mensibus Urinæ continuo profluvio laboraret, hincqve summam in genitalibus ab excoriatione molestiam pateretur, bis abortivit; Tertiâ verò vice gravida simili tædioso affectu vexata, adhibitis incrassantib9 & acrimoniam Seri demulcentibus, circa qvartum gestationis Mensem ab hôc incommodô liberata, felicem Partus Terminum sana expectat.

§. XXXVI. Accusandi ulterius quoque nobis veniunt Affectus alii *Uterum* affligentes, Fœtusque hospitium corrumpentes. Ut sunt: *Intemperies Uteri;* tùm *frigida & humida,* cum pituitosi humoris abundantiâ; ob qvam laxata ligamenta eum amplius retinere neqveunt, Juxta SENN. *L. 4. P. 2. S. 6. c 2. p. m. 393.*: tùm *frigida & sicca,* omnibus vitæ actionibus, eodem judice, infesta. *Angustia* item *ejus,* quæ Fœtum grandiorem

rem illi immorari non permittit; juxta Decreta HIPPOCRATIS & GALENI, fusius explicata & approbata apud laudatum Autorem *l. 2. p. 401:* Et *Densitas* distensionem justam, connexionemque cum Secundina firmiorem prohibens: *Et vitiosa alia conformatio;* velut illa, apud BARTHOL. *Hist. Anat. Cent. 5. H. 9.* occurrens: Et *Laevitas* superficiei Interiorioris, ab oblinente eam viscidâ mucagine proveniens, dictæque connexioni pariter obstans; Qvam insinuavit Cous. *aph. 45. S. 5:* Et *Inflammatio* ac *Erysipelas;* quod *lethale esse Mulieri prægnanti* idem docuit *aph. 43. ejusd. Sect.* Et *Tumores alii* duri ac confirmati: Nec non *Procidentia;* de quâ vid. HARV. *de Part. p. m. 346.* aliterq;, ac aliquando inprovidis Obstetricum Manibus, attestante VOLCKAMERO *Ephem. Germ. An. IX. & X. Obs. 62.*, mutatus Situs: Ut & *Vulnera, Ulceraq; & Cicatrices* varii generis; de quibus EPHEM. *cit. l.* Denique *Contenta præternaturalia* diversa: ut *Aquæ*, EPHEM. GERM. *An. 1. Obs. 1. Schol.*; *Calculi*, HIPP. *5. Epid.* PAREUS. *l. 24. c. 19.* DIOMED. CORNAR. *Cons. Obs. 1.* EPHEMER. GERM. *An. IV. Obs. 65.* *Vermes* &, quæ præ cæteris nominanda, *Mola*, frequens Abortus causa. De quâ notandum, quod aliquando ex conceptu genuino, turbato naturæ negotio, oriatur. Nempe dum nimiùm Sanguis adfluit, sæpè fit, ut Spiritus, dum se ab ipsius copiâ liberare tentat, Molam efformet, quæ Fœtum aliquomodo jam formatum in se contineat. Quale exemplum habet KERKRING. *Spicil. Anat. Obs. 95.* Spectat hûc etiam *Conceptus* & *Fœtus* ipse præter naturam constitutus; De quo vero sigillatim postea dicetur. Quorum omnium quæ causandi ratio sit, nec difficile est adsequi, nec nobis nunc licet exponere.

§. XXXVII.

§. XXXVII. Recenſendi qvin etiam plures Morbi, tum Corpus Matris totum infeſtantes, tum Partes ejus certas primariò corripientes; qvorum vis ad Uterũ pertingens, Abortum promovet. Et nominandæ hic inprimis *Febres acutæ:* Ad qvas maximè digitum intendiſſe videtur HIPPOCRATES *aph. 30. S. 5.* qvando *acutos Uterum gerentium Morbos lethales* pronunciavit. De his enim tam verum eſt hoc Prognoſticon, qvàm qvod veriſſimum; Paucasq; gravidarum Febribus continuis, ardentibus, Pleuritide &c. correptas ſuperſtites manere, nedum Abortum effugere videas. Qvo pertinet etiam *aph. 55. S. 5. Qvæcunq; Utero gerentes febribus detinentur, & vehementer extenuantur citra manifeſtam cauſam, eæ difficulter & cum periculo pariunt, aut in Abortionis periculũ incidunt.* Tanta verò tanti periculi Cauſa ex vehementisſimâ Sangvinis ebullitione originem ducit. Ebullitio autem hæc ab impetuoſiore & furioſâ Spirituum agitatione, qvà id, qvod corpori moleſtum atq; inimicum eſt, digerendo atq; deſtruendo é corpore eliminare indefeſſo labore ſtudent. Sangvis itaqve dum ob nimiam hanc ebullitionem per totum corpus, ſicq; conſeqventer circa Uterum vehementiùs agitatur, tum per adauctam ipſius Spirituaſcentiam Uteri fibras diſtendendo, tũ ſuffocando, Fœtum propellit. Accedit, qvod propter Anorexiam acutis ut plurimûm conjunctam, Fœtus qvoqve alimento ſuo juſto & proportionato deſtituatur, ſicq; debilitetur. Debilem verò ad intempeſtivam excluſionem admodùm aptũ eſſe, ex ſeqventibus conſtabit. Hiqve Morbi qvò malignioris ſunt conditionis, eo qvoqve deteriores Gravidis exiſtunt. Hinc in Peſte aliisqve malignioribus Morbis freqventes Abortus fieri, ex levi etiam occaſione, ALEX.

BENED. *de Pest.* it. TH. BARTHOL. *Hist. Anat. Cent.* 3. *H.* 59. aliiqve referunt.

§. XXXVIII. Sæpè tamen etiam contingit ut Mulieres diuturnioribus & inprimis per paroxysmum revertentibus Febribus detentæ aboriantur. Matre enim cruciatibus multis & molestiis debilitatâ, ipse qvoqve Fœtus tandem debilior evadit, atqve insimul corruptâ magis magisqve per diuturniorem Morbi moram Matris Massâ Sangvineâ, tum Morbi causa cum ipso deniqve communicatur; tum nutrimentum ejus vel corrumpitur, vel eidem subtrahitur; tum ab ipso Utero Intemperies contrahitur, rectam retentionem impediens. vid. EPHEM. GERM. *An. VI. & VII. Obs.* 241. HILDAN. *Cent.* 4. *Obs.* 56. Sicqve Fœtus in Utero ægrotans & nutrimento corrupto vel subtracto deficiens, ab Utero debilitato facile dimittitur. Utut aliter aliqvando evenire, Matreqve satis debili, nec fœtu à Labe ejus immuni existente, Partum nihilominùs non citari observemus. Qvam in rem notabilis est Casus, qvem hic Francofurti ante Annum & qvod excurrit observavi in Gravidâ qvâdam, haud infimæ sortis fœmina. Hæc Diætæ minus obtemperans, mox post conceptionem Qvartana corripiebatur, cui deniq; Morbo, ipsâ præceptis Medicis morigeram se haud præbente, Hydrops Anasarca cum Ascite adjungebatur. In tali statu usqve ad justum Partus tempus permanens, profluente tunc ingente aqvarum copiâ, Fœtum masculum qvoad omnes partes absolutum & vivum edidit. Fœtum verò materna labe infectum fuisse, & lividus faciei color brevitasqve vitæ confirmavit.

§. XXXIX. Commemorandi deinceps præcipui Affectus, qvos vocamus *Particulares*, ad expulsionem Fœ-

tus

tus intempestivam facientes. Ubi præter dolorosos illos qvos §. 35. attigimus, inter eos qvi supremi Ventris sunt, offerunt sese *Vigiliæ*, *Melancholia*, *Epilepsia*, *Convulsiones*, *Sternutationes crebræ*, *Hæmorrhagiæ Narium immodicæ*, &c. Inter Medii Ventris Partibus adscribi solitos occurrunt *Syncope*, *Lipothymia*, *Tussis freqvens*; Inter ultimum Ventrem affligentes habentur, *Vomitus*, *Malacia & Pica*, *Hydrops* tam *Ascites* qvam *Tympanites*, *Alvi Profluvium*, *Ejus Adstrictio nimia*, *Ischuria*; Inter illos qvibus Artus cruciantur, *Arthritidis species variæ*, &c. Inter pluribus simul Partibus infestos, *Lues Gallica*, *Malum Hypochondriacum* & *Scorbuticum*. Præsertim *Suffocatio Hypochondriaca*, vulgo *Hysterica* dicta. Inter ceteros & indeterminatos, *Vulnera*, & ab externo comprimente, Vulnerante, Casu, &c. ortæ *Læsiones*, It. *Scabies*, *Lepra*, &c. De qvibus omnibus cum plures, qvæ extant, Scriptorum Medicorum observationes afferri possint, recensendis tamen illis paginas impendere tractandorum copia prohibet. Neqve ideò pluribus licet occupari in determinando omnium Causandi Modo, qvem tamen cupientibus in ipso Disputationis actu promptè explicabimus. Interim hoc loco ad imitationem SENNERTI *l. s. c.* generatim dicimus: Præfatos affectus, partim Spiritum & Humores agitando, partim Musculos Abdominis & ipsum Uterum, imo ipsum Fœtum concutiendo, partim alimentum subtrahendo, Naturam ad expellendum impellere. Remittimus qvin etiam cupidum hujus doctrinæ Lectorem ad FR. SYLV. *Pr. l. 3. c. 6.* nec dubitamus, qvin percepto exinde modo, qvo Melancholia, Vigiliæ, Alvi fluxus, Hæmorrhagiæ, &c. Abortum conferunt, de reliqvorum affectuum conferendi modo facile sit facturus judicium.

Licet non diffiteamur, qva Alvi fluxum, & in specie Dysentericum, non levem nobis scrupulum injici ab Observatione WEDELII, qvam HEYDENREICHIUS *Diss.* cit. *p.* 33. loqvitur. Dum nimirum adseruisse illum refert, qvod nullam viderit Dysentericam Gravidam occubuisse vel abortiisse, qvin potius singulare robur se in iisdem observasse.

§. XL. Denique notanda *Vitia* in *ipso Fœtu* occurrentia. Nempe hæc sunt, quæ eum Utero molestum & inimicum reddunt, ut Orificii sui apertura fundiqve contractura ejus expulsionem suscipiat. Atque hic inprimis *Debilitas* Fœtus & afflicta Valetudo inculpanda. Si enim debilior fœtus fuerit, inquietus fit & se varie agitat, eaqve agitatione Utero stimulos addit ad sui exclusionem. Nempe cum adultior quodammodo & perfectior molestiam aliquam percipit, aut Morbum contrahit. Si vero debilitas in *Mortem* terminetur, jamque Cadaver factus sit Fœtus, non potest non major Utero molestia ab illo, ut inutili pondere, accedere; isque, partim mole illius præter solitum gravante, partim tetris ex Cadavere exeuntibus vaporibus, partim ex eodem manante Sanie, ad expellendum stimulari. Huc spectat Fœtus ante *plenam conformationem Membrorumq; confirmationem extinctus* aut *corruptus* vel in *Mucaginem resolutus*, culpa potissimum *Spiritus plastici:* ejusq; vel infirmioris, (ob principia Parentum Seminalia minus efficacia) inque ipso adeo formationis negotio deficientis; vel per *affectus Animi* vehementiores aut aliter turbati. Qvem quidem ideo Uterus exturbat, quod, occasione interitus illius, abrupto generationis negotio, gravetur ab adfluxo Sangvine, qui in augmentum & alimentum illi cedere debebat; Cumqve sustinere tandem

copiam

copiam non poſſit, apertis Vaſorum Oſculis elabi eum in Uterum ſinit: Unde per Menſtruorum fluxum Via Abortui ſternitur. Non minus *Moles* Fœtus major in culpa eſt aliquando, ut ante juſtum Tempus excludatur. Quando nimirum eam, quam ultimis alioqui geſtationis Menſibus habet, magnitudinem, prioribus aut mediis acquirit, ut contineri tandem propter incrementa, quæ indies majora fiunt, commodè non poſſit. Pariliq; ratione *Numero* etiam excedens Fœtus, noſtro potiſſimùm in Orbe, cauſa eſt anticipantis Partus. Si nimirùm Gemini, aut Tergemini, aut plures numero vel ſimul, vel diverſo tempore & per Superfœtationem concepti fuerint. Neq; enim noſtris Mulieribus adeo congruit, quod de Ægyptiis ARISTOTELES *Hiſt. anim. l. 7. c. 4.* retulit; nempe eas multos fœtus & facilè gerere & parere. Quam in rem facit Exemplum quod nuper ad Excell. DN. PRÆSIDEM Ratisbonâ relatum ab ipſo accepimus. Fœminæ nimirum Ratisbonenſis, quæ cum per ſeptimeſtre Spatium Uterum cum moleſtiâ & dolore geſſiſſet, elapſo illo, præmaturũ paſſa partum, tres enixa eſt filias, quarum quæ ſecundo prodiit mortua mirêqve monſtroſa fuit. Tametſi & hoc hic ipſe Caſus confirmare videatur; Quod Fœtus in Vtero mortuus non tantùm ſuæ ſed & aliorum, qui ſimul cum ipſo exiſtunt, intempeſtivæ excluſionis cauſa ſit, uti docet SYLV. *l. ſ. c. §. 91.* Exſtant & alia Abortus propter Fœtum multiplicem facti Exempla. Mirum verò quod refert AVICENNA citatus ab ALBERTO MAGNO *de Anim. l. 9. c. 5.* qvandam XXII. figuratorum abortum feciſſe. Item quod ipſe ALBERTUS obſervavit LXX. figuratos aborſu rejectos. Fidem omnem ſuperat, (dixerim meritò cum ALHARD. HERM. CUMMIO *Diſſ. de Conceptione §. 6.*) quod

 ſibi

ſibi à Medico narratum idem dicit: Mulierem nempe Nobilem CL. figuratos una vice ejeciſſe; Quodve de Comitiſsâ quâdam Hollandiæ, Comitis Hennebergæ Uxore traditur, Eam CCCLXV. unâ vice edidiſſe. Referenda ad hunc locum quoque *vitioſa Partium Fœtui adhærentium & illum ambientium Conſtitutio.* Ut ſunt *Hepar Uterinum* juſto auctius; *Membranæ* nimis tenues, ut movente ſe fortius Fœtu facile rumpantur; *Vaſa umbilicalia,* quæ conjunctim *Chordæ umbilicalis* nomine aliàs veniunt, malè ac ineptè conformata. Nempe vel nimis exilia & tenuia, qualia SENN. *l. c. p. m. 396* accuſat: vel nimis brevia, e.g. vix Spithamæ longitudinem habentia, qualia obſervavit HILDANUS *Obſerv. 50. Cent. p. m. 121.* Scil. *Placenta Uterina grandior* Fœtus incrementa prohibet gravatqve. *Tenuè* nimis Amnion & Chorion ſi rumpantur, albugineum liquamen, quod Fœtum ambit nutritque, dimittendo, alimento eum & munimento privant. *Vaſa umbilicalia* juſto *exiliora* facile accedente violento aliquo corporis motu, ut Vomitu &c. abrumpuntur, ſimulq; via nutritionis intercipitur. *Brevia* nîmis cum fuerint creſcens Fœtus in Utero materno paulatim Placentam abſtrahit & ſeparat. Abſtracto autem Hepate Uterino neceſſariò moritur Fœtus.

§. XLI. Ad Cauſas NONNATURALES accedentes, quæ in Sanguinem totumque corpus efficaces moderato uſu illud conſervant, immoderato deſtruunt, merito ordimur ab AERE, ut Primate hujus claſſis. Hic *calidus* & *ſiccus* Sangvinem quaſi înflammat, ſicque Spirituaſcentiam ejus adauget; quâ adauctâ Spiritus in fibris Uteri exagitari, ipſasq; diſtendi & Abortum provocari ſupra innuimus. Neque improbabile eſt SYLVII dogma *Pr. l 3. c. 6. § 81.* ſum-

Summum Aëris æstum nonnunquam in Fœminis tenellis causam Abortus esse, quatenus non tantùm Spiritus animales tunc consumuntur & dissipantur, sed insuper Sangvis universus nimiùm dissolvitur & fluidior evadit. *Frigidus* è diverso Aer incrassat Sangvinem, Spirituum proventum prohibet, impotentioresque ad agendum reddit, & sic perfectionem Fœtus retardat, eumque debilem reddit. Accedit, quod frigus Utero velùti nervoso corpori inimicum sit. Hinc â solo frigore crebriores oriuntur Abortus, si gravidæ convenienti vestitu, præsertim quà inferiora, sibi non prospiciant; propter liberum quem habet ad regionem Uteri aditum: Tumque dolor circa Renes exoritur, ad Hypogastrium descendit, & Nephritici doloris instar affligit; Juxta JONSTONUM *Id. Univers. Med. Pract. p. 714.* Ceterum maximam Frigoris ad Abortum concitandum efficaciam esse, si calidi humidique Aëris usus aliquando præcesserit, SUMMUS *Medicinæ* PARENS notabiliter edixit *aphor. 12. S. 3. Si Hyems australis & pluviosa, Ver siccum & Aquilonum fuerit, Mulieres quibus Partus in Ver incidit ex quâcunque occasione abortiunt.* Cujus effati rationem quomodo GALENUS in *Commentario* explicare sategerit, SENNERTUS docet in *Pr. p. 394.* Nobis autem eandem excutere nunc non vacat. Similiter secundum plurimorum sententiam Aër si *malignâ Qualitate* fuerit infectus, ingentem Turbam corpori inferens, ex domicilio suo propellit Fœtum. Atque eá etiam de causâ tempore Pestis, cum Aer inquinatur, frequentes Abortus fieri, Autores observarunt. Ejusdem efficaciæ habetur Aër qui ex Terrarum cavernis, Lacubus, Cloacis aliisq; locis sordidis prorumpens, aut extinctarum

Can-

Candelarum, (de quibus PLIN. *l. 7. c. 7.*) Cadaverum, similiumque fœtentium rerum Atomis impraegnatus tetrum spirat odorem, Gravidarum nares moleste ferientem: Quippe à qvo abhorrentes Spiritus Imaginationem concitant, ejusque virtute ulterius turbati Fœtus Occonomiam pervertunt. *Astrologorum* Curiositates utpote conjecturales, adeòque utplurimùm fallaces, quæque, etiamsi causarum vim præstent, supra Medicinæ potestatem habentur, nostras jam non facimus.

§. XLII. CIBUS & POTUS si in iisdem modus non observetur, Abortus etiam causa existunt. Nimia enim copia adsumti, uti aliàs non secus Corpora, quam Meretrices Adolescentium Mentes, ad perniciem adducit, juxta MERCATUM *T. 1. l. 2. de Sanit.* ita & Fœtui eandem affert. Multus siqvidem Cibus multum Chylum, multus Chylus multum producit Sangvinem, multus Sangvis Pethoram; de qva jam supra dictum. Qvod uti salvis Ventriculi rebus contingit, ita illô minùs validô existente, inqve Chylificatione deficiente, si gravida qvantitate nimia adsumendi peccet, multæ Cruditates accumulantur; qvibus in Sangvinem reddudantibus Cacochymia oritur varia, qvam pariter supra aduximus. Imo verò ex Potus Ciborumqve ingurgitatione, tum dolores Stomachi aliaqve mala, tum Vomitus oboriuntur, antea inter Causas præternaturales commemorati. Neqve tamen ideo non accusanda erit *Inedia*, qvippe qvà tam Fœtui alimentum subducitur, qvam Mater debilitatur. *Qvalitatis* vitium si insuper accedat, eo magis Abortui occasionem præbent Alimenta. Speciatim id faciunt Humectantia & lubricantia, qualia sunt oleosa & pingvia, item

item quæ pravi & mali ſucci Concoctionisq; difficilis ſunt. Faciunt qvoq; Aromatibus largiter conditi Cibi. Hi enim particulis volatilibus, ſubtilibus, acribus & penetrantibus Sangvinis maſſam ſaturantes, Motum ejus inteſtinum augent, Fervoremqve & fluxilitatem majorem ei conciliant; unde per Vaſa uterina promptiùs erumpit, Menſesqve intempeſtivè cum jacturâ Fœtus prodeunt. Idem judicium eſto de *POTU calidiori* facilèqve fermentabili, ut Muſto, Vino generoſo, Sp. Vin., largiori hauſtu adſumto; vid. FOREST. *l. 13. Obſ. 12.* Quamvis hoc in paſſu Naturæ nonnunquam aliquid concedendum: Noviqve ipſe Juvenculam, quæ primâ vice gravida quotidiè ferè Potu Vini Hungarici absque omni noxâ delectabatur. Nimiùm verò *frigidus* ſi fuerit Potus, calore Ventriculi obruto, Cruditatum proventum juvat; qvibus poſtqvam inqvinatus fuerit Sanguis, Fœtum non tantùm non ritè nutrit, ſed & lædit. Imò copioſior frigidi Potus uſus, uti Viſcerum Ventriculo accumbentium calorem obtundit, ita Uteri etiam & Fœtus calorem opprimere poteſt.

§. XLIII. Maximam inſuper Abortum cauſandi vim habent Remedia qvædam generoſiora, tàm Chirurgica, qvâm Pharmacevtica, minùs cautê uſurpata. Nempe *Venæ-Sectio*, inprimis ſi Saphenæ crurum aperiantur & multus Sangvis emittatur: Omnisqve alia copioſa Sangvinis per *Arteriotomiam*, *Scarificationem*, *Hirudines* evacuatio. Medicamenta tàm *Emetica* qvâm *Cathartica* fortiora, præſertim acria & primis ultimisqve geſtationis Menſibus exhibita. *Diuretica* itidem valida, & qvæcunqve inſignem acrimoniam, amarorem, aut aliàs abonimabilem Saporem habent. juxta HIPPOCRATEM *de Morb. Mul.; Sunt autem, quæ ſi acre qvoddam aut amarum*

 præter

præter consuetudinem ederint aut biberint, Fœtus perdunt, cum adhuc tenellus Fœtus extat. Inprimis verò omnia calidiora, i. e. qvæ Sangvinis Massam in fervorem agunt, & in specie illa, qvorum virtus in ciendis Mensibus probata est. De qvibus omnibus, qvomodo ad hunc effectum & affectum producendum concurrant & operentur, in proclivi qvidem esset ostendere. Sed cum lucem huic doctrinæ sufficientem accenderit SYLVIUS *l. c.* §. *85. & seqq.* idemqve alii Pathologorum egerint, nolumus hanc operam nostram facere, svadente id inprimis brevitatis proposito. Qvòd ipsum abstinere etiam nos jubet à commemoratione singulorum, tùm simplicium, tùm compositorum, qvæ sub generibus antè indicatis comprehensa, nigro Scriptorum Medicorum calculo notantur.

§. XLIV. Dantur etiam Medicamenta, singulari nec satis hactenus explicatâ ratione fœtui infesta, Uterumqve irritantia, qvæ ideò strictiori sensu, (nam generatim usurpata vox omnibus prædictis tribuitur) ἐκβόλια (ἀπὸ τοῦ ἐκβάλλειν i. e. ab ejiciendo, qvod Fructum Ventris cum impetu qvasi ejiciant) appellantur. Atq; hujus generis qvædam intùs adhibita id præstare observatum, qvædam foris saltem applicata & attacta id effectum dare perhibitum est. Ex his feruntur esse Pennæ vel Alæ Aqvilarum pedibus Mulierum substratæ, Ungula Asini in suffitu adhibita, ut & Dracunculus, si ejus odor inspiratione attrahatur, aliaqvê plura. Qvin Plantas qvasdam in transitu saltem pedibus tactas vim Fœtui nocendi habere sunt qvi autument. Qvorum sententiæ hactenùs accedere non unus nos scrupulus vetat. Crediderimus certè longiori morâ opus esse, ut vis aliqva à Vegetabili

ad

ad Uterum Fœtumqve penetret; adeoq;, pace ſecus ſentientium, fallaciam cauſæ ſubeſſe dixerimus traditis de hâc re Obſervationibus. Cum potius vi Imaginationis, dum Mater ex contactu Plantæ, qvam ſuſpectam habet, ſiniſtri qvid metuit, qvàm propriâ Plantæ Vi Abortus eveniat. Interim nolumus contemni Præceptum RODERICI à CASTRO, qvi *l. 3. c. 22. de Morb. Mul. p. m. 272.* moderamen atqve cuſtodiam Gravidis præſcribens, Ne Hortos freqventent imperat. Interna verò ἐκβόλια, alia qvidem à plerisqve Pathologis ſub Abortus evolutione nominata inqve vulgus ferè nota ſunt; alia non adeò pervagatæ notitiæ, multisqve innoxia habita, à certis tantùm Autoribus, notata ſunt. Qvorum aliqva, iſtis miſſis, hoc loco indicare operæ pretium arbitramur. Sic de *Radice Filicis* adnotavit ROLFINCIUS *Ord. & Meth. comment. l. 9. S. 3. c. 1.* ipſam peculiari cauſandi Abortum virtute præditam eſſe. *Linum* Fœtum expellere ſcribit SCHROEDERUS. *Theſ. Pharm. l. 4. p. m. 110.* & de *Oleo Lini* Obſervationem habet HAGENDORNIUS *Eph. Germ. An. III. Obſ. 216.* Ubi Uxor in gratiam Mariti ſemel atqve iterum guttulis aliqvot prædicti Olei utens, ſuborto fragore in Abdomine, excretoqve per Muliebria cruore etiam coagulato, infeliciſſimè ſe vidit Abortum pati. In *Selagine tertia Thalii* vim ad depellendos Fœtus efficaciſſimam adeſſe, JAC. BREYNIUS tradit *Ephem. Germ. An. IV. & V. Obſ. 149.* De *Camphora* Hiſtoriam refert PETR. BORELLUS *Obſ. 98. Cent. 2.* cujus Pyxidi cum Mulier quædam inſediſſet, Abortum paſſa eſt.

§. XLV. Quâ occaſione, & cum paulò ſupra Catharcticorum meminerim, non poſſum quin de *Manna* qvoqve qvædam adjiciam. Hanc enim vulgaris opinio ab

omni culpâ abſolvit, tutôque Prægnantibus dari poſſe, creditur. Notavit tamen GOTTOFRED. SCHULTZIUS. *Ephem. Germ. An. VI. & VII. Obſ. 241.* etiam ab illius uſu concitatum Abortum. Nec ratio deeſſe videtur. Qvippe vis Mannæ laxativa in motu fermentativo conſiſtit, propter qvem cautè adhibenda, Gravidisqvè minus conducibilis videtur. Accedit inſimul, qvod iſta Gravida, qvæ Mannæ Unc. j. Obſtetricis ſvaſu uſa eſt, Ictero inqvinata fuerit. Bilioſis verò & calidis, hoc Purgans, licet aliàs mite ſatis, minùs convenire, hincqve majorem ejus qvantitatem vitandam eſſe, & rectiùs inter Phlegmagoga qvâm Cholagoga referri debere, WEDELIUS *de Medicament. Facult. l. 2. S. 2. c. 4. p. m. 143.* ſcribit.

§. XLVI. Cumqve hùc devolvimur, videmus campum nobis amplum aperiri excurrendi in agitatiſſimam à Medicis Controverſiam de *Purgatione Gravidarum.* Sed retrahit animum calamumqûe pagellarum anguſtia. Paucis tamen ut de mente noſtrâ conſtet: Probabiliorem dicimus eorum ſententiam, qui ab omni Gravidarum Purgatione minimè abſtinendum eſſe contendunt. Gravidæ enim cum nonnunquam Morbis ex Cacochymiâ oriundis prehendantur, aut etiam alia indicantia Purgans exigentia adſint, Medicus haud inconſultè Medicamentum purgans adhibet. vid. HIPP. *Aph. 1. S. 4.* Experientiaque Experientiæ opponi poteſt, cum certum ſit, plures purgari Gravidas, non modo nullo cum diſcrimine & jactura Embryonis, ſed feliciſſimo cum ſucceſſu & recuperatione Sanitatis tum Matris, tum Fœtus. Accedit hic Obſervatio Excell. LUDOVICI, quem ſæpius obſervaſſe ſcribit HEYDENREICHIUS *Diſſ. cit. p. 25. Si Mulier conſveto aliàs purgante non moveatur, cum ta-*

le

le contra peculiares affectus detur, plerumq; ipsam fuisse impragnatam. Ceterùm uti cautè & circumspectè in omni Mulierum Purgatione Medicum esse oportet, ne existimationis & famæ jacturam patiatur, qviqve summè conscientiosus esse debebat, tetram Conscientiæ maculam secum circumferat: (Absit enim ut omnibus fidem adhibeat, etiamsi vel jurent se non gravidas esse, sed mores & famam respiciat, Signaque tam ab internis qvàm externis petenda sedulo observet, neque ex Verbis sed Corpore Indicationes desumat. Vid. HENR. ab HEER. *Obs. 14.* it. BINNINGERUM *Obs. Med.* qui optimè earum falsitates detexit:) Ita inprimis si gravidam esse aliquam norit, cautus sit & semper respectum habeat, tum ad *Morbum*, tum ad *Pragnantem & Purgans*. Nempe si *Morbum* absqve Purgante removere potest, vitet hoc Medicamenti genus. Ubi verò necessum fuerit exhibere Purgans, tale eligat, quod clemens, mite atq; benignum, qvodqve magis abstersivâ aut incisivâ, qvam fermentativâ vi noxium eliminet. Tutiorisq; usus hic erunt mitiora *Purgantia*, parciori dosi exhibita & stimulo salino congruo permista. Ad *Gravidam* qvoqve, nempe ejus Habitum, Vires, &c. & Gestationis tempus respiciat, majus enim damnum primis in Mensibus metuendum quam mediis. Interim tamen legimus aliqvas bene fuisse purgatas, qvas eventus deinceps docuit per Septimanas duas, tres, Mensem unum, duos, tres, fœtum gestasse. Vid. HEYDENREICH. *l. c.* Purgantia enim non nisi in disposita agunt corpora. vid. MELCH. SEBIZIUM *de recta ratione purgandi, Disp. 4. Probl. 4.* ZACUT. *de Princip. Med. Hist. l. 3. H. 14.*

§. XLVII. Porro MOTUS & QVIES nisi debitè

ſe habeant, ad promovendum Abortum haud inefficaces ſunt. Sicut enim diuturnâ & fere continuâ *Qviete*, ad quam Vitam ſedentariam referimus, Spirituum activitas retardatur, torpidiorqve efficitur, digerendaqve non digeruntur, neqve abſumenda abſumuntur, & excludenda excluduntur, unde corpus vitioſis Humoribus ſcatere incipit, atqve Oeconomia animalis Matrisqve Fœtusqve vitiatur ac Abortus ſeqvitur; vid. SCHENCK. *Obſ. l. 4.* Ita nimius corporis *Motus* isqve vehementior Abortum ciet, quatenus agitatione qvâvis vehementi, ſive voluntariâ, ut Saltatione, Eqvitatione, Vectione, &c. ſive præter voluntatem Matris, ut in Lapſu, & ſub Verberibus &c. contingente, concusſis Viſceribus aliisqve corporis partibus, Uterus qvoqve & per conſeqvens ipſe Fœtus concuſſionem patitur: Cujus vincula ſi fuerint laxiora & minus firma, mox ſolvuntur ac rumpuntur, ſicqve ab Utero ſecedens Embryo cum Secundinis ad exitum urgetur. vid. BARTHOL. *Hiſt. Anat. Cent. 4. H. 87.* & confer iterum SYLVIUM *Pr. Med. l. 3. c. 6. §. 64. & ſeqq.* Qvi ſe meminiſſe refert, nonnullis Fœminis ex ſola Brachiorum elevatione non ſemel diverſis geſtationis Menſibus Abortum contigiſſe; putatque hoc fieri, qvatenus tunc temporis premitur & anguſtatur Abdomen, angiturqve in Utero Fœtus; Qvi vehementius tunc preſſus, facilè ex Utero exprimitur, inprimis laxiore atqve Fœtum minus firmiter adhærentem habente. Ex elevatione Oneris Abortum obſervavit BOURGEOIS *l. 3. c. 3.* Imò Motu corporis nimio Maſſa Sangvinea incaleſcit, turgidiorqve Uterum afficit atqve Abortum hoc modo provocat, præſertim ſi æſtivis in diebus contingat.

§. XLVIII. SOMNUS & VIGILIÆ Matris & Fœtus

tus Saluti, si ritê iisdem utatur Mulier, prospiciunt, sin minùs, ad Abortum etiam ducunt. Immoderatus qvippe diuqve protractus *Somnus* Spiritibus torporem inducit & Cruditates in corpore accumulat; Torpidiores verô Spiritus Generationis operi ritê non inserviunt, Cruditatesque Fœtus Alimoniam corrumpunt, sicqve nutrimento destitutus deficit. *Vigiliæ* contra si nimiæ fuerint, Spiritus continuo motu dissipant, exhauriunt, vires prosternunt, adsumptaqve cruda in Venas rapiunt, imo Sangvinem nimiùm agitando nonnunqvam fervidiorem reddunt, Morbosque acutos inferunt. Vid. BARTHOL. *Hist. Anat. Cent. 8. H. 70.* Adeò ut non possit non ex malo & perverso harum Usu Mulier abortire.

§. XLIX. Pariter RETENTORUM & EXCRETORUM culpâ Abortus haud rarò accidit; *Excretio* enim nimia Sangvinis qvantum damnum Fœtui inferat, ex antecedentibus jam tum manifestum est. Hoc loco Hæmorrhoidum tantum fluxum modum excedentem supra commemoratis Sangvinis excretionibus accensemus. Qvod alios Humores concernit, nec horum evacuationem, si in excessu peccet, innoxiam esse, vel Alvi fluxus docet, supra juxta *Aph. 34. S. 5.* inter Causas præternaturales computatus; uti & Urinæ Incontinentia. Similiter & *Retentorum* culpâ Abortum oriri, ex antedictis haud difficulter intellectu est, qvando Colicam, Adstrictionem Alvi, Ischuriam accusavimus.

§. L. Properamus jam ad vehementiora ANIMI PATHEMATA, Abortus etiam, ut plurimorum Morborum, fontes & scaturigines. Spiritus enim potenter afficientia, totùmqve Sangvinem alterantia, magnam in Corpore turbam excitant. *Ira*, cui præ Viris nimium indulgent

dulgent Fœminæ, juxta CAMERAR. *Syll. memorab. Cent.* 10. *P.* 55., quantam vim in Corpus habeat, toto die docemur, nullaqve Causa Abortus post Plethoram freqventior est qvàm Ira vehemens. Turbatis enim & confusis inordinatèqve adfluentibus Spiritibus in Succensis, Massa Sangvinea similiter turbatur, & ad Uterum delata, exitum per vasa, simulqve Spiritus fibrarum rarefaciendo fundi contractionem & orificii apertionem urget; Atq; hâc ratione tenerum adhuc Fœtum nullo negotio ejicit. Si grandior autem jam fortiorqve sit, periculosam in Utero luctam excitat, qvæ nisi tempestivè inhibeatur Fœtui exitium parit; cum Sangvis tali modo turbatus, non solûm in Uterum sed & in ipsum Fœtum influat, Functionesqve Fœtus turbet. Vid. SYLV. *Pr. Med. l. c.* §. 80. Vide qvin etiam eundem de *Terrore Animiq; Sollicitudine & Tristitia* §. 71. *& seqq.* aptissimè tradentem, qvod & qvomodo ad exclusionem Fœtus præmaturam conferant. Malumus enim Celeberrimi hujus Viri studium commendare, qvâm rem benè ab eo actam iterum agere; deficiente inprimis tempore & Chartarum spatio. De *Lætitia* si qvis qværat, possitne hic illa aliqvid? minime negaverim. In magno enim & inopinato gaudio diffusi Spiritus dum qvaqvaversum abeunt ad omnes corporis partes commovendas, & ad tripudiandum qvasi agitandas, avocantur à Fœtu, ejusqve ideo Sanitas & Vita summo periculo exponitur. Cumqve Exemplis aliqvot constet commotos nimiùm in effusè Gaudentibus Spiritus repentinæ Mortis causam extitisse, qvidni & Abortum sic accelerari posse dicamus? Qvod *desiderium* certarum rerum, vehementemqve *Appetitum* concernit, facilè de ejus culpâ judicium fieri potest ex Picâ & Mala-

ciâ

ciâ superiùs inter Res præternaturales notatis. Atqve ad hunc censum pertinet qvoqve anxia *Veneris Appetentia*, furibundusqve in eandem impetus, qvo libidinosæ Gravidæ nonnunqvam agitantur; exitiosa interdum Fœtui, propter nimiam Sangvinis aliorumq; Humorum turgescentiam & impetuosiorem exagitationem ac commotionem, Spirituumq; concitatiorem impetum. Qvale Exemplum annotatum reliqvit B. Dn. Avus meus, DN. MELCH. POLISIUS, M. D. *& Professor qvondam in hac Electorali Celebratissimus.* Imaginationis vires separatim nunc loqvi non est opus, cùm mediantibus Animi affectibus agat ferè illa, qvicqvid agit. Sicut ipsâ mediante Abortus subinde origînem habet ab Inspectione digladiantium, mortuorum, vel Laniatorum, aut suppliciis affectorum, ab auditu repentini fragoris vel Tonitru, contrectatione improvisâ, & similibus Rebus.

§. LI. Inter NATURALES ad Abortum disponentes Causas, TEMPERAMENTUM primo loco ponendum. Qvod si *calidum* fuerit acrium & fervidorum humorum natalibus favet, Succi verò nutritii, in alimentum Fœtus cedere apti, pauperiem infert. Contra si *humidum* & pituitosum fuerit, sicqve *frigidum*, non solùm nimiâ humiditate Tonum Uteri destruit, verùm & visciditate sua proventum atqve adfluxum Sangvinis boni impedit; unde minor, qvàm par erat, Calor Uteroqve Fœtuiqve accedit.

§. LII. Occurrit secundò in hâc Causarum Classe ÆTAS tenerior & provectior. In Illâ enim, cum adhùc in statu augmentationis Mulier sit, individuiqve incremento Natura prospiciens omne alimentum in proprii corporis usum convertat, non invenit Fœtus unde alatur

& conservetur. In Hâc, fractis per aliqvot Puerperia viribus, Spiritus minus agiles, & Massa Sangvinea minûs nutritiva; aut, si nondum Fœmina peperit, viæ nimis adstrictæ & Commeatus adeò nutritii Humoris ad Fœtum minùs liber est.

§. LIII. Tertiò notandus HABITUS CORPORIS: tàm *crassior*, qvem HIPPOCRATES indice qvasi digito monstrat, *aph. 45. S. 5.*; qvàm *tenuior*, qvem idem *aph. anteced. 44.* accusat. In illo enim commodus Utero & Fœtui increscentibus locus deficit, alimentumqve dum in habitu Corporis vertitur, paucum Fœtui conceditur: In hoc itidem annonæ, ut sic dicam, inopia, i. e. Alimenti, qvod Fœtus postulat, parùm adest. Ut meritò culpandum veniat institutum earum Fœminarum, quæ cum tenues satis sint, arctiore Thoracis, per vestes rigidas iisqve immissos asserculos ligneos vel eburneos, constrictione, Abdominisqve compressione, operam dant ut magis extenuentur.

§. LIV. Qvibus accedit qvartò STATURA nimis parva, expansioni justæ Uteri & incremento Fœtus obstans. Nec non qvintò HÆREDITARIA DISPOSITIO, qvà Uterum, qvave Pelvim; dum nimirùm ex Matribus debiliori Uterô vel angustiori Pelvi præditis similes Filiæ nascuntur, qvæqve adeô iisdem, qvibus illæ, casibus facilè subjiciuntur. Addunt etiam sextò REGIONES aliqvi nimis calidas vel frigidas, â MASSARIA *Med. Pract. l. 4. c. 11. p. m. 577.* in album Causarum Abortus relatas. Harum verò vis omnis ab Aëre, de qvô jam supra.

§. LV. Explicatis ita Causis præcipuis, tam Proximioribus, qvâm Remotis, (ad qvas SUPERNATURALES aliqvas etiam referri â qvibusdam non qvidem immemores

res ſumus, ſed deficiente nobis & otio & paginarum ſpatio, recenſendis illis immorari nolumus, cum exigui in Medicina uſus ſit earum Notitia; qvam comparare tamen, qvi volet, ſibi poterit ex *Diſſ. Inaug.* JUST. ORTOLPH. MAROLDI *de Abortu per Vomitum rejecto* c. 7.) haud difficilè erit animô complecti DIFFERENTIAS Abortûs reſpectu earum occurrentes; ut iis determinandis ſingularem impendere operam minimè opus arbitremur. Sicuti nec reliqvas ſollicitè exponere; Cùm hæc Doctrinæ pars qvâ noſtrum affectũ parùm lucis Curationi accendat. Sufficiat itaqve extremis qvaſi digitis hoc punctum attingere, & qvæ ratione Subjecti atqve Objecti ejusqve Attributorum ſtatuuntur Diſcrimina ſtrictim adnotare.

§. LVI. Nempe *Subjecti* intuitu, Abortus alius per ἰδιοπάθειαν, alius per συμπάθειαν affectô Uterô contingit. Eſtqve (ut hoc etiam hic addamus, qvod inter Cauſas referre volentibꝰ excidit) illius generis inprimis & ille habendus, qvi violenter, per admota extrinſecùs Inſtrumenta, diductô Orificiô internô Uteri concitatur. Qvemadmodum compertum eſt noſtra ætate paucisqve abhinc Annis, ſceleſtam qvandam Veneficam Pariſiis Gallorum ſexcentos & plures Abortus hôc modô provocaſſe, & *Pulverem*, qvem vocavit, *Succeſſionis* inde præparaſſe.

§. LVII. *Objecti* ſ. ipſius Fœtus ratione, Abortus, ſi *Formam* illius ſpectes, alius eſt Fœtus nondum ritè conformati, alius legitimè qvoad membra perfecti, alius mutili, alius monſtroſi; ſicuti Ratisbonenſis ille fuit, de quo §. XL. dictum eſt: Cujus effigiem, deformitatem inſignem monſtrantem, apud Excell. DN. PRÆSIDEM vidimus. Si *Habitum*: alius involucris adhuc

involuti; (ut in Partu maximè naturali ac legitimo accidere adserit HARV. *de Part. p. m. 251. & 341.*) alius iisdem exsuti & nudi. Si *Statum:* alius viventis & se moventis, alius mortui putrefactiqve aut indurati; it. alius integri, alius in frusta discerpti, &c. Si *Magnitudinem:* Nunc unius digiti articulum, nunc dimidium, nunc integrum digitum, nunc manum magnitudine æqvans, interdum & major; aliàs habilior, aliàs macilentus ejicitur. Si *Tempus* aut *Ætatem:* Cum qvovis Mense Fœtum protrudi posse & protrusum fuisse, præter alios, unicus KERKRINGIUS in *Osteogeniâ Fœtuum*, non exiguis sumptibus editâ, sufficienter demonstret; Abortus est Fœtus nunc bimestris, nunc trimestris, nunc qvadrimestris, &c. Tandem si *Numerum:* Nunc unius, nunc geminorum, nunc tergeminorum, nunc plurium. Vid. supr. §. XL. It. RHOD. *Obs. Med. Cent. 3. Obs. 36.* HEYDENREICH. *cit. Diss. p. 25.*

§. LVIII. Ad SIGNORUM Doctrinam nunc devenientibus, DIAGNOSTICA Signa primùm notanda veniunt, tàm παθογνωμονικὰ qvàm τοπογνωμικὰ & αἰτιογνωμονικά. Et *hæc* verò & *ista*, qvoniam partim ex Causarum descriptione patent, partim in Sensus incurrunt, partim alibi traduntur, (ut Morborum, qvos accusamus, internorum, Temperamenti, &c.) Brevitati studentes sicco pede præterimus. *Pathognomonicis* autem Signis insistentes, ea tantummodo recensebimus qvæ imminentem Abortum patefaciunt.

§. LIX. Facti enim Abortus Signa non prosunt Medico, nisi qvatenus aliqvando consulitur à Magistratu, vel aliis de Pudicitiâ Mulierculæ, quæ fœtus suos clanculum corrupisse dicitur. Qvo in casu exploratis

locis

locis Muliebribus per Obstetricem aut peritum Chirurgum, facile est pronunciare de Abortu recenter facto; qvia tunc adhuc sunt Genitalia madentia, mollia & adaperta, ut facilè sit conjectatu, ruptum aliqvid violenter & ex Uterô expulsum esse. De Abortu verò præteritô non est ita facilè pronunciare; qvod rursum istæ Partes coëant & paulatim redintegrentur: adnotante VARAND. *de Affect. Mul. l. 2. S. 4. C. 9. p. 311.*

§. LX. Inter Imminentis Abortûs Signa, præter ea, qvæ ex Naturalibus & Præternaturalibus prægressis Causis petuntur, insigne præ cæteris est *Lac,* ubertim ex Mammis spontè defluens, juxta *aph. 52. S. 5. Mulieri Utero gerenti, si Lac copiosum è Mammis effluat, Fœtum imbecillem indicat.* It. *2. Epid. S. 6.* Lac enim tali in statu effluens, qvia copiâ suâ probat absumptionem nullam lactei nutrimenti fieri, per consequens qvoqve colligitur, Fœtum, qvoniam non absumit Lactis materiam, langvere, sicqve Abortum imminere.

§. LXI. Metuendus porrò Abortus si *Mammæ* extenuentur; dictitante iterum Coo *Aph. 37. S. 5. Mulieri Utero gerenti, si Mammæ derepentè gracilescant, Abortionis periculum est.* & *aph. seq. Mulieri Utero gerenti Gemellos, si altera Mamma gracilis evadat, alterum abortu edit.* it. *aph. 53. Qvæ Fœtus corruptura sunt, iis Mammæ extenuantur.* Qvia nimirum vel Sangvinem Chylosum deficere, vel eundem ob violentam Vasorum rupturam ad Uterum ruere, vel aliô modô motum ejus vitiatum esse, indicio est Mammarum flacciditas.

§. LXII. *Sanguinis menstrui fluxus,* utpote Prægnantibus & Lactantibus plerisqve insvetus, juxta *aph. 60. S. 5.*

 supra

ſupra jam citatum, qvod pariter Abortum præſagiat, ex antè dictis facilè collectu eſt. Hoc tantùm hic notare volumus: Qvoniam nonnunqvam hic Fluxus in Plethoricis à benignô Naturæ ſtimulô dependet, & ſine noxâ eſt, uti §. XXXII. indicavimus, alia qvoq; externa & concomitantia Signa huic ex Sangvinis menſtrui fluxu deſumtæ Diagnoſi conjungenda eſſe. Atqve hoc etiam: Si in Febribus ardentibus & continuis Menſium Fluxum Gravida experiatur, tantò magis de Abortu timendum eſſe. Cùm ob Sangvinis inſignem fervorem exigua ſpes ſit impetum ejus ad Uterum coërcendi. Qvin etiam ſi aliàs *adverſa corporis valetudine utatur, aut cùm doloribus conflictetur, qvæ utero gerit, ſubindeq; febricitet, ſumma Prudentiâ & Curâ opus eſſe*, HIPPOCRATES *de Morb. Mul.* ſcriptum reliqvit. Atqve eô ipſô indice digitô monſtravit indicium imminentis Abortus notabilius perverſam Prægnantis Valetudinem; ſive Affectus pluribus ante commemoratos.

§. LXIII. Inprimis verô mox futuri Abortus Indicia ſunt: Laterum Ventrisqve ſuperioris Coarctatio, ita ut Epigaſtrium deprimatur & Hypogaſtrium elevetur; Lumborum Coxarumqve gravitas & ad motum ſegnities; Ventris Lumborumqve Dolores, ab Epigaſtrio ad Hypogaſtrium & verſus Pubem deſinentes; ſecundum Textum HIPPOCRATIS *l. 1. de Morb. Mul.* §. *XXXV.* citatum: Maximè verò Dorſi circa regionem Renum Dolores, die Wehen im Creutz / (de qvibus in Partu legitimo & naturali qvoqve qveruntur Mulierculæ) Capitis & Oculorum Dolores, Ventriculi Morſus, Frigiditas Extremorum, Animi deliqvia, Horror, Convulſiones: Qvæ ſi retrorſùm fiant, & velut comitiali Morbo afficiatur Mulier, Medicamen-

camentorum violentiâ procuratum esse Abortum, putat cum AETIO *l. 16. c. 19.* RODER. à CASTRO *de Morb. Mul. l. 4. c. 4. p. m. 286.* Sic & Dolorem qvi circa regionem Renum exoritur, si ad Hypogastrium descendat, & Nephritici doloris ad instar affligat, à nimio Frigore excitatum Abortum indicare, JONSTONUS autor est; uti jam supra §. XLI. innuimus. Dolores enim hi omnes eosqve seqventia Symptomata, Membranas & Ligamenta, qvibus Conceptus utero adhæret, tendi & divelli, Fœtumqve Orificium premere, significant.

§. LXIV. Qvod si Fœtus jam ante se validè movit, rarior simul langvidiorqve Motus evadit, cum Abortionis Tempus instat. Dein post varios conatus & tormina Aqva primum saniosa ab Utero profluit; loturæ Carnis similis, post cruenta, successive Sangvis purus, mox grumosus magnâ satis copiâ, deniqve ipse Fœtus formatus aut informis excluditur. Atq; hic qvidem non rarò Sangvine grumosô totus obrutus. Unde fit, ut interdum pro Sangvinis grumô aut Molâ habeatur à Mulieribus. Qvòd ne fiat, certôqve Abortus præsens cognoscatur, Excretum qvodvis qvod ab Utero venit, si paulò compactius fuerit, Aqva calida abluendum: Sic enim Conceptus cum Fœtu in conspectum veniet; aut constabit etiam, si nullus compareat, de nullitate Abortus. De qvâ ut constet interest sanè Mulierum: Qvandoqvidem sollicitæ cupidæqve Prolis Matres animo non parum anguntur, cum jacturam Fœtus se fecisse experiuntur: Cùm tamen sæpè non fecerint, sed fallantur ab ignavis parumqve attentis Obstetricibus, Abortum ex solo Sangvinis menstrui abundanti fluxu judicantibus, de inspectione verò excretorum parùm sollicitis.

§. LXIV.

§. LXV. Excutienda ulteriùs Signa PROGNOSTICA ſeu ad Prædictionem facientia. Qvam de Abortu prolaturi, meritò ipſum pronunciamus Affectum Terroris & periculi plenum, cùm ferè ſemper ſub illo Fœtus, ſæpè etiam Fœminæ de vitâ periclitentur. Eſt enim violentior naturali Partu, ut HIPPOCRATES docet *de Nat. Puer.* it. *l. 1. de Morb. Mul.* Certè Abortiones majorem moleſtiam qvàm Partiones adferre ſolent. Mater qvippe ob deperditionem Sangvinis, ex ruptione vaſorum violentâ ortam, aliaqve incommoda, utpote Syncopen, Diarrhœam &c, præſertim ſi diutiùs perſeverent, qvidni deficiat? Vid. RIVERIUS *Obſ. 6. Cent. 1.* VARAND. *l. c. p. 343.* Neqve ulla citra aliqvam violentiam Abortio contingit, ſive ex Medicamento, ſive Potatione, vel ex aliâ re qvapiam contingat. Vis omnis autem Naturæ inimica; inprimis cum Uterus Pars corporis admodum ſenſilis & principalis, juxta ſuperius tradita, habeatur. Periculoſius malum eſt, ſi Uterus ulceretur aut Inflammationem contrahat. Nullas vidit ſervatas AETIUS, qvibus in Abortu, ſeu poſt eum Convulſiones supervenerunt. Aliqvando propter Inflammationem & Obſtructiones Partium genitalium fit, ut Sangvis non egrediatur ex Uterô, ſed intùs putreſcens recurrat ad ſuperiora; unde Febres æſtuoſæ, Palpitationes Cordis, Cardialgiæ, & ſimilia Symptomata valde funeſta

§. LXVI. Ratione *Subjecti*, in Primiparis Abortus periculoſior eſt; utpote inadſvetis dolores pati, & anguſtiores vias habentibus. Item graciles admodùm aut valdè craſſæ Mulieres ex Abortu periclitantur: Illæ propter infirmitatem; Hæ propter conſtrictionem Locorum, per qvos Fœtus excluditur.

§. LXVII.

§. LXVII. Eſt etiam periculoſior Abortus ſextò, ſeptimò aut octavô Menſe contingens, propter auctam Corporis in Fœtu molem; quàm primis qui fit Menſibus, ubi adhuc tenerior exiſtit Fœtus.

§. LXVIII. Abominabilem qvoqve Abortum faciunt Symptomata ipſum inſeqventia, & per ſat longum tempus, imò per totum vitæ curſum durantia. Uti ſunt Sterilitas, (interdum pro cauſa habens inſignes lacerationes, qvæ tamen non ſemper Conceptum fœcundum prohibent. Vid. EPHEM. GERM. *An. IX. & X. Obſ. 62.*) Uteri debilitas, Fluor albus, Menſium anticipatio, nimius eorum Fluxus vel totalis Suppreſſio, Uteri Procidentia, Stillicidium Urinæ perpetuum, &c.

§. LXIX. Interim tamen & ſine inſigni noxâ interdum Gravidæ abortiunt. Nimirum ſi fuerit Uterus humidior & laxior. Imò Monſpelienſibus Fœminis Abortus conferre ad facilitandam Conceptionem refert VARANDÆUS *l. c. p. m 344.* Qvia ſcil. expurgando illas, locos muliebres exſiccare videntur. Videtur etiam HIPPOCRATES *6. Epid.* ex Abortu commodum promittere: Dum vult Abortum ſex dierum maſculinum conferre ad Menſium Suppreſſionem: Qvod forſan de illis accipiendum venit mulieribus, qvæ non commodè expurgantur menſtruis Periodis, & ideô valetudinariæ exiſtunt; Qvia per ejusmodi Abortus Viæ illæ obſtructæ aperiuntur, & Sangvis allicitur ad Uterum, qvi antea parciùs fluebat.

§. LXX. Plura ad Prognoſin pertinentia tradant alii. Nobis ad alia properandum. Nempè ad exponendam METHODUM MEDENDI Abortui. Eam verò dum aggredimur, monendum inprimis eſt, in Præſervatione tantùm futuri & imminentis mali omne Medentis nego-

 tium

tium positum esse. Nam factus Abortus restitui neqvit, Curatioqve qvam post Abortionem suscipit Medicus tantúm in eò consistit, ut intempestivè editum Fœtum, si vivus prodierit, roboret, ipsumqve & Matrem inter vivos conservet; Tuncqve non Abortui, sed Infanti debili, Matriqve Puerperæ medelam facere dicitur.

§. LXXI. Duplici verò modô suscipitur Præservatio Abortus juxta PLATERUM *Pr. T. 3. l. 2. c. 3. p. m. 480.* Vel enim instituimus illam anteqvam conceperit Fœmina, vel postqvam jam concepit.

§. LXXII. Anteqvàm gravida est Mulier, ipsamqve imprægnatam esse constet, (qvòd certè illa, si Virum post Puerperium non admiserit, cognoscet) diligenter antè omnia perpendendum: Utrum & qvæ nam Causa in Corpore lateat, ob qvam, licet concipiat Fœtusq; formetur, eum tamen usqve ad justum Tempus non retineat & perfectum vitalemqve edat?

§. LXXIII. Cognoscet hoc Medicus observando Fœminæ antea Aborsum passæ Constitutionem. An nimirùm vel Plethorica vel Cacochymica existat? vel alio aliqvo affectu vexata sit? vel an Uterus culpandus veniat, qvodqve ejus Vitium sit?

§. LXXIV. Si itaqve nimia Sangvinis spirituosioris Copia, Corpus præter modum replens, Vasorum reserationi, aut Fœtus suffocationi occasionem dederit; Victu tenui, blandorumqve acidorum usu, ut & V. S. & Scarificatione imminuenda est.

§. LXXV. Si Cacochymica adsit Dispositio, & totũ Corpus mucore viscido, vel serosâ colluvie, vel Biliosis aliisqve noxiis humoribus plenum observetur; tunc Corpus purgandum venit, tàm Vomitu qvàm Secessu: Ut & coacer-

coacervatæ in primis Viis Cruditates eliminentur, & in Sangvinem receptæ Impuritates ſeparentur ac evacuentur. Ad *Vomitum* concitandum duo Medicamenta mihi ſufficiant, *Mercur. Vit.* & *Sap. Vomit. Sylv.*; qvæ Doſi paucâ & Sapore nullo, aut tamen exiguô nec ingratô prædita, ſeqviori Sexui, utpote præ Viris delicato, commodè offerri poterunt. Licèt enim *Croco Metallorum* vim egregiam Vomitus excitandi haud derogem: Qvoniam tamen nominatum Medicamentum utplurimùm Vino infuſum propinatur, ex eoqve ſubortâ nauſeâ fieri poteſt, ut omne Vinum deinceps Mulieres reſpuant; (uti qvandam Matronam, pòſt exhibitum tale infuſum adeò omne Vinum abhorruiſſe, ut cùm nauſeâ ad Sacram Synaxin ſemper accederet, ex relatione *Optimi Præceptoris* DN. D. RIVINI, *Medici Lipſienſis Clariſſimi*, gratâ mente recordor,) potiùs alia juvat exhibere, â qvibus nil ſimile metuendum.

§. LXXVI. *Purgantia* ſi adhibenda veniant, optima & tutiſſima qvidem erunt ex Vegetabili Regnô petita, non tamen rejicienda omninô ex Minerali venientia. Sic ſi Lympha ſeu viſcida, ſeu tenuis exorbitet, ſic dicta Hydragoga & Plegmagoga conducent. Uti ſunt: *Rd. Jalap.* vel potiùs *Reſinâ ejusdem, Gum. Gott. Colocynth. ejusq;* & *Trochiſc. Alhand. Extractum*, atqve *Mercur. dulc.* Qvi ultimus loco ſtimuli & ut incidens additus, in Lymphæ vitiô optimè conducit, ſi viſcida nimis fuerit. Qvo in caſu præmitti qvoqve poſſunt *Incidentia* alia, vel inſimul Purgantibus addi, inprimis *Salſa* & *Amara*. Si Bilis vitium foveat *Cholagoga* erunt efficacia, ut *Rhabarb.* & *Scammon.* Siq; Bilis ſimul volatilitate peccet non ſine fructu Acida præmittentur.

§. LXXVII. *Sudore* etiam ſi Cacochymica diſpoſitio tolli poſſit, ille provocandus. Et conducent

cent eò fine in Pituitosâ Cacochymiâ maximè, quæ præter vim aperiendi Poros simul Pituitam viscidam incidunt, ut *Decocta & Essentia Lign. Gvajac. Sassafr.* &c. At verò in Biliosâ Cacochymiâ, in qua sanè Diaphoresis plurimùm conducit, ex Observatione BINNINGERI *Cent. I. 25.* (ubi Cacochymiam biliosam omnibus irritis spontaneò & copiosô Sudore curatam proponit) optima erunt Sudorifera subacida ut *Mist. Simpl. Sp. Lign.* & similia.

§. LXXVII. Ceterùm ut felicius faciliusq; succedat tum qvæ per Alvum, tum qvæ per Corporis Habitum fit Evacuatio, in Abundantiâ Massæ Sangvineæ V. S. præmitti poterit, svadente MAUR. HOFFMANNO *Disp. de Sang. Th. 62.* Deniqve ut Cacochymiæ fundamenta penitùs subruantur, juxta diversitatem Humoris peccantis, nunc qvidem *Martialia*, nunc verò *Terrea Absorbentia*, nunc *Aromatica* atqve *Salina*, hæcqve tam *Volatilia*, qvàm *Fixa*, nunc *Acida*, nunc *Amara*, nunc *Oleosa*, nunc *Aqvea*, nunc *Spirituosa*, exhibenda sunt. Qvorum omnium usus multo maximus est in expugnandis Chronicis illis Malis, Hypochondriacô, Scorbuticô, Gallicô, Fluore albô, &c. inqve aliis affectibus supra propositis. Qvem verò distinctiùs hoc loco ostendere, omniumqve qvibuscum Fœminæ non gravidæ conflictantur, Morborum ad Abortum disponentium Curam evolvere, nec fert institutum nostrum, nec materiæ ubertas.

§. LXXVIII. In Uterô si vitium lateat, isque ab aliquâ Intemperie inbecillis sit; præmissis, si necessum fuerit Universalibus, *Corroborantia* adhibeantur, & talia qvidem, qvæ simul respectum ad causas Intemperiem facientes habeant. Utramqve, qvod ajunt, paginam in Intemperie frigidâ & humidâ, præ cæteris fre-

qven-

qventiore, abſolvent Aromata, ut *Antophyll. Galang. Caſſ. Lign. Macis*, &c. Plantæ & Plantarum partes aromaticæ Utero primariò dicatæ, ut ſunt *Meliſſ. Rut. Fl. & Fol. Roſmar. Lavendul. Arthemiſ. Macis*, &c. *Galban. Styrax*, qvibus cum paria faciunt *Caſtoreum & Succinum*. Compoſita qvoqve & alia qvæ in Officinis proſtant adhiberi poterunt, ut *Conf. Dianiſ. Diacalaminth. Diagalang. Balſ. Embr.* &c. In aliâ Intemperie alia convenient, qvæ apud SENNERTUM in Praxi & alibi legenda, cum nobis non permittatur de iis fuſiùs hoc loco agere. Hæc Medicamenta tam internâ variâ qvâm externâ ſub formâ Lotionum, Balneorum, Fomentationum, Suffùmigiorum, Linimentorum, Peſſariorum aliáqve commodâ applicaveris. Ab *exulcerato* & *ſanioſo Utero* ſi profectus ſit & ultra timeatur, (uti meritò timetur,) Abortus, *Mundificantia* primùm, tum *Conſolidantia* & *Siccantia* adhibebit Medicus ægrotæ Sanitatem exoptans. Præcipuus hic uſus Vulnerariorum *Veron. Beton. Prunell. Millefol. Roſ. Rad. Biſtort. Symph. maj.* ex quibus additis nonnullis Utero amicis, ut ſunt *Puleg. Meliſſ. Calend. Fl. Cheir. Sem. Lin. &c.* (quorum Virtute eò citiùs Uterus corroboratus Saniem emittet) Decoctum parari ad mentem VOLCKAMERI *Ephem. Germ. Ann. IX. & X. Obſ. 62.* atqve per Siphonem injici in Uterum poterit. Qvo ipſô commodè etiam uti licet ad præcavendam Exulcerationem, ſi ab Excoriatione Uteri, vel aliâ ejus læſione, per Abortum inductâ metuatur. Atqve in hôc Caſu illicô, poſt ejectum Fœtum & ejus involucra, injici debet, ut apertô adhuc Uterô liberior Medicamento aditus & Saniei exitus ſit. Eſtque bis in die per octiduum continuanda injectio. Ceſſantibus deinde Lochiis, aut aliâs deſinente Saniei effluxu, ſvaſu laudati

 Autoris

Autoris, Balneum Aqvæ dulcis cum convenientibus Herbis paretur, noctuqve Pessus ex Uterinis & blandam vim adstringendi habentibus, subdatur Matrici. Exacto autem Mensis spatiô, reversôq; solitô Mensium fluxu, Siphonis usus reiteretur. Qvæ omnia laudatus VOLCKAMERUS felici cum successu instituit. Internè parili ratione Medicamenta convenientia exhiberi poterunt, e. gr. *Corall. rubr. Ebur. Ocul. Cancr.* &c. in convenienti vehiculo e. gr. *Aqv. Meliss.* it. Electuarium ex Conservis ac Conditis convenientibus cum Syrupô idoneô paratum. &c. Ita, accedente congruâ Diætâ, pro Causarum diversitate, anteqvam Mulier iterum concipiat, futurus Abortus evitari potest.

§. LXXIX. Postqvam verò prægnans jam est Foemina, ut Utero inclusus Foetus conservetur & ad legitimum usqve Tempus retineatur, is labor, hoc opus est Medentis.

LXXX. Qvo in negotio ut ritè versetur, monebit non tantùm Gravidas de fugâ omnium, qvæ supra ex Rebus Nonnaturalibus & Externis inter Causas retulimus; sed & in emendandâ præternaturali qvâvis Constitutione, s. Materni Corporis s. ipsius Foetus illa fuerit, sedulum se præbebit: Ut, qvantum possibile est, præmatura Orificii Uterini apertio & Fundi Contractio præcaveatur.

§. LXXXI. Longum verò nimis foret exponere hôc locô singulas, qvas vocant, Indicationes, singulis, qvos in Ætiologia proposuimus, Affectibus eorumqve Causis convenientes, simulvè Materiam ostendere omnibus congruam. Neqve id pensum opinor qvisqvam nobis dederit, cum non unius Disputationis ea res sit. Qvamobrem, ut compendiô de agendis hôc in Casu pariter ac agendorum Instrumentis aliqva tradamus, fert animus

Tripli-

Triplicem, qvem vulgo appellant, Remediorum Fontem excutere, atqve præcipua, qvibus Abortum in prægnantibus amoliri licet, Præsidia ita ostendere, ut qvibus potissimùm Causis, qvænam & qvomodo opponenda sint appareat.

§. LXXXII. In FONTE CHIRURGICO primùm sese offert VENÆ SECTIO. Remedium certè, si cautè & cum judiciô adhibeatur, generosum & efficax ad præcavendum in Gravidis Abortum, qvoties ob Sangvinis materni Abundantiam s. Plethoram ille metuitur; Aut Febres acutæ ingruentes ipsum post se tracturæ videntur; aut aliqvis insignis Sangvinis fervor eundem minatur. Id qvod Experientia loqvitur, Ratio confirmat, Principes qviqve Medici fatentur. Non desunt tamen qvi aliter sentiant, omnemque ab omni Gravida Phlebotomum procul esse jubeant; urgentes Hippocraticum illud effatum *aph. 30. S. 5.: Mulier Uterum gerens Venâ sectâ abortit, &c.* additâ ratione: qvod Fœtus nutrimentô suô privetur, dum Sangvis subducitur. Qvos tamen minimè audiendos arbitramur, utut ipsi §. XLIII. V. S. ad Abortum conferre dixerimus. Namque HIPPOCRATIS sententiam de liberali nimis Evacuatione, qvâ ipsius ævo Medici utebantur, ad heminas aliqvot Sangvinem mittententes, intelligendam esse, jam pridem RODER. à CASTRO. *de Morb. Mulier. P. 2. l. 3. c. 2.* & ZACUT. LUSIT. *l. 1. de Med. Princip. Hist. 32.* inculcarunt. Atqve ad hanc præfatam rationem accommodari posse, minimè negandum. Nos autem cum supra V. S. ad Causarum censum revocavimus, tum similem excessivum Sangvinis eductionem, tum in Subjectis exsangvibus institutam, nec non ratione Temporis & Locis inconvenienter susceptam, atro carbone notavimus. Atqve adeò non sine causâ

hoc

hôc locô in Abundantiâ & Fervore Sangvinis cautè & cum judicio adhibitum ὡς α hoc βοήθημα commendavimus. Nempe ut innuamus: Non cuivis Fœminæ in Abortum propendenti promiſcuè ſecandam Venam; nec ſine Obſervatione certarum Circumſtantiarum, nempè Qvantitatis, Temporis & Loci.

§. LXXXIII. De quibus ut clarius Mentem explicemus, modumque ritè & tutò adminiſtrandi hanc Operationem in præcautionem Abortus paucis oſtendamus, dicimus: Gravid s Plethoricis ſi Vires aliæqve conditiones V. S. permiſerint, non niſi moderatè admodum educendum Sangvinem; Nec niſi aliud Neceſſitas jubeat, aliis adeò qvâm mediis Geſtationis Menſibus, præſertim qvintò; Nec per Venas adeò inferiores qvàm ſuperiores. Nam per inferiorum, puta, Saphœnarū Sectionem Sangvinis fluxus ad Uterum rapitur, & Menſtrua provocantur. Utut obſervatum ſit, alioqvin in Meretriculis Abortum ſtudio hac ratione concitare volentibus, etiam ipſas inter initia Geſtationis innoxiè apertas fuiſſe. Primis autem ultimisqve Menſibus, cum in illis qvidem Plethora adeò non urgeat, in his adultior fœtus abundantem Sangvinem promptiùs in ſuos uſus convertat, vix videtur Evacuatione opus eſſe. Qvod tamen ita accipi volumus, ut non negligatur hoc remedium, ſicubi manifeſta exuberantis Maſſæ Sangvineæ indicia primis ultimisqve Menſibus ſeſe offerant. Atqve ea propter notanter diximus: Niſi aliud Neceſſitas jubeat. Qvippe qva urgente etiam Secundô Menſe, *juxta* SYLV. *l. ſ. c.* §. *86. & 157.* Tertiôq; nec non Nonô, *juxta Obſerv.* MASSARIÆ, feliciter cedere poſſe V. S. minimè negaverim. Tamecsi adeo non probem, eorum inſtitutum, qvi facilitandi Partus cauſa paucis

ante

ante imminens legitimi Partus Tempus diebus hanc Evacuationem ſvadent; ſatius exiſtimantes cum ZORNIO *l. c.* §. *92.* differre eam, donec conatus Parturientium jam urgeant, tumqve in pedibus præcipuè eandem inſtituere. Qvantum verò ad Morbos acutos, magnum periculum portendentes, ſpectat, ſciendum eſt, qvod in illis nunqvam cunctandum, neq; adeô ſollicitè Menſium ratio habenda, qvin potiùs ſemper initium Morbi attendendum, anteqvam Vires ægrotantis labaſcant, Morbusqve invaleſcat. Ita enim præſentaneum Gravidis levamen adferre licet, Morbumqve in herbâ, qvod ajunt, opprimere. Qvam in rem vid. Obſervationem CAROL. RATGERI *Ephem. Germ. An. VI. & VII. Obſ. 264.*

§. LXXXIV. Poſt V. S. occurrunt CUCURBITULÆ SCARIFICATÆ: Qvarum uſus itidem eſſe poteſt in Delicatioribus V. S. abhorrentibus Plethoricis, aut Morô acutô laborantibus; Ita qvidem, ut partibus potiſſimùm ſuperioribus applicentur. Forſan & NON SCARIFICATÆ uſum habent in inſtanti Abortu, ubi jam Sangvis emanare deprehenditur. Paris enim conditionis Hæmorrhagia hæc eſſe videtur cum Menſibus ubertim fluentibus, de qvibus HIPPOCRATES *aph. 50. S. 5.* ſcribit: *Mulieri ſi voles Menſtrua ſiſtere, Cucurbitulam qvam maximam Mammis adpone.*

§. LXXXV. Succedunt HIRUDINES, qvæ pariter Vicariæ V. S. habentur: Sed probè anteqvàm in uſum trahantur depurandæ, & partibus etiam ſuperioribus, ut Scapulis & Brachiis potiùs, qvàm inferioribus admovendæ ſunt.

§. LXXXVI. Accedunt FRICTIONES, commodæ inprimis Fœminis habitioribus & corpulentis, qvibus propter negatum corporis motum fuliginoſa excrementa in corpore ſubſiſtunt, Sangviniſq; Craſin & Motum cum

periculô Abortus pervertunt. Utiles etiam, si in Artubus instituantur, pro derivandis Catarrhis tenuioribus ad Pectus ruentibus, & Tussim, perq; hanc Abortum, cientibus.

§. LXXXVII. Sistunt se qvoq; FASCIÆ & SUBLIGACULA, apta Ventres Gravidarum sustinere, concussionemq; validiorem Fœtus prohibere. Qvibus uti itidem licet in Tussi vehementiori, cumq; Metus est, ne ab inevitabili Corporis Motu sinistri qvid accidat. Maximè ultimis Mensibus, cum grandior gvaviorq; Fœtus laxationem ligamentorum Uteri ejusq; descensum inducere potest. ZACUTUS LUSITANUS *Obs. 152. l. 2. Pr. Med. Admir.* speciatim laudat Zonam ex Coriô Eqvi marini confectam, vel in defectu hujus ex Coriô Lupinô paratã; qvæ Coria occultam qvalitatem habere pro retinendo Fœtu in Uterô, seqve præstantissimum semper hoc remedii genus expertum esse, adserit. Verùm nescio nunqvid potiores partes in hoc auxiliô sint Imaginationis & fiduciæ Matris, multum sibi de illô promittentis, qvàm occultæ alicujus Qvalitatis.

§. LXXXVIII. Ad FONTEM PHARMACEUTICUM accedentes offendimus in primo limine *Medicamenta Laxativa seu Lenientia*; à qvibus plurimùm auxilii promittere sibi possunt Gravidæ, si propter obstructiones Alvi pertinaces, aut primarum Viarum impuritates, Flatibus Ructibusqve ansam præbentes, aut Hypochondriacam Affectionem, vel Ischuriam, (nam solutâ Alvô etiam Vesica ad Excretionem stimulatur, juxta LANGIUM *in Miscell. Cur. VI. p. m. 15.*) Abortum timeant. Ea autem non indiscriminatim omnia commendare sustinemus, sed certa qvædam & probata, sine insigni commotione Ventrem ducentia seligimus. Ut sunt: Decoctum *Rad. Polypod. Fl. Acac. Sylv. Tamarind.* & ex his cum Sero Lactis

paratus

paratus *Tartarus Laxativus simplex*, de qvo BARTHOLIN. *Cent. 5. H. 21. Pulpa Caſſ. & Paſſul. Syr. Viol. & Roſ. ſolutivus, Electuarium Diaprun. ſimp. & Lenitivum Nicolai.* Tametſi enim *Caſſiam* propter Flatulentiam Hyſtericis minus prodeſſe WEDELIUS *de Medicament. Facult. l. 2 S. 2. c. 4. p. m. 143.* perhibeat; Et B. ETTMÜLLERUS *in Annot. MSS. ad Pharm. Diſſ. Ludov.* Stranguriam ab illo atqve Dyſenteriam ob vim ejus Diureticam & fermentativam excitari ex FALLOPIO adſerat; Attamen minimè repudiandam hanc (ut ACTUARIUS eam vocavit) Prægnantium Medicinam arbitramur, dummodo rite corrigatur adjectis aut ſuperadſumtis Carminativis. Sunt hujus generis etiam Clyſteres Lactei, ſimilesq; non acres ex Herb. Emollientibus & Abſtergentibus cum Aqv. ſimpl. aut Brod. Carn. addito Saccharo aut Melle, Oleoqve ac Salis tantillo parati. Dico, *non acres;* Nam acres, dum nimis ſtimulant, vicinumqve Inteſtino recto Uterum irritant, Abortui potius fores pandunt. Idemqve faciunt Laxativa Aloëtica. Aloë enim, præter Amarorem inſignem fœtuiqve inimicum, Vim ἀναστομωτικὴν, i. e. Vaſorum oſcula aperiendi habet, nec non Teneſmum ſubinde cauſatur, Alvumqve obſtructam poſt eam, qvam præſtat ſolutionem, relinqvit. Qvamobrem minimè etiam congruere exiſtimamus Gravidis uſum Pilularum Francofurtenſium, ſimiliumqve ex Aloë paratarum; utut ſciamus eas à nonnullis & commendari & uſurpari.

§. LXXXIX. Seqvuntur *Purgantia* propriè dicta: Qvæ qvidem minimè negligenda ſunt, cum Cacochymia Gravidis negotium facit, Humoresqve Turgentes tum affectus alios excitant, à qvibus Uterus in conſenſum raptus ad Abortum diſponitur; tum ad ipſum Uterum Fœtumqve tendunt, & utriusqve ſtatum turbant. Dum-

 modo

modo ut §. XLVI. indicatū est, circumspectè adhibeantur. Ex eorum autem magnô numerô non aliud magis commodum tutumqve videtur, qvàm celebratissima nostris temporibus *Jalapa*, seu in Pulveris formâ exhibeatur, seu parata inde *Resina* accipiatur. *Scammoniata* enim & *Colocynthina*, nec non *Esulina*, propter acrimoniam qvam habent eximiam, Gravidis non sine damnô propinari, jam pridem agnoverunt attentiores Practici. *Rhabarbarum* autem & *Senna*, etsi tantâ violentia non operentut, propter amarorem tamen & ingratum Saporem Jalapæ meritô postponuntur.

§. XC. Excipiunt hæc *Vomitoria* nempe Blandiora, nec validè adeò commoventia E. g. Aqva tepida cum Oleô, & similia; qvæ non nisi tunc in usum vocanda, qvando adsumtum improvisò Venenum aut alia noxia adsumpta adhuc in Ventriculo stabulantur eumqve exercent.

§. XCI. Post hæc venimus ad *Diaphoretica* & *Hydrotica*; qvæ non possunt non ambabus, qvod ajunt, Manibus amplecti, cum profectò non alia magis, qvæ ad evacuantium Classem pertinent, Medicamenta, qvàm hæc ipsa Gravidas ab Abortu præservare idonea sint. Præterqvam enim qvod proficuam in aliis causis abortivis debellandis operam præstant, plurimùm conducunt, qvoties ab Inflammatione aut Erysipelate Uteri malum hoc proficiscitur. Nec non, qvoties â febribus malignis aut aliis acutis aut alio Sangvinis fervore idem eventurum videtur. Cæterùm cum duplicis generis hæc habeantur, nempe volatiliora & Fixiora; illa qvidem in acutorum Morborum principiis interdum locum habere possunt, e.g. *Mixt. Simpl.* aut *Tinctur. Bezoard. Spir.* & *Sal. volat. C. C.* &c. In aliis autem casibus tutiora sunt, qvæ sub hóc genere con-

continentur, e.g. *C. C. phil. præparat.*, *Unicorn. ver.* & *Fossil.*, *Antimon. diaphor.*, *Bezoard. mineral. ſimpl.* & *compoſ.*, *Pulv. Bezoard. Senn.*, *Specif. Cephal. Mich.*, &c. in Aqvis appropriatis e.g. *Acetoſ.*, *Acetoſell.*, *Card. bened.*, *Scabioſ.*, *Veron.*, &c. commodè propinata.

§. XCII. Ulteriùs proſtant in hoc Fonte *Alterantia* omnis Generis, qvorum alia refrigerandô, alia calefaciendô, alia ſiccandô, alia acidum temperandô, alia Sal lixivum Bilis demulcendo, alia aliâ ratione Cauſas Humoroſas diverſas, diverſimodè ad Abortum conferentes, auffe-runt. Alia Spiritus vel deficientes reficiendô, vel tumultuantes coërcendo; Alia Tonum hujus vel illius Partis & inprimis Uteri corroborandô, alia Fœtum debilem recreandô plurimùm ad præcautionem Abortus contribuunt. De qvibus verò ſingulis ſigillatim tradere, qvave in causâ ſpeciali hæc vel illa ſpeciatim proſint, exponere non ſint Inſtituti noſtri ratio. Saltim qvæ Uterũ Fœtumqve roborandi peculiarem vim habere per Experientiam hactenùs comperta, atq; hinc κατ' ἐξοχὴν Præſidia *Abortum præcaventia* dicta ſunt, aliqva ex Triplici Naturæ Regno petita adſcribemus. Talia ſunt ex REGNO VEGETABILI: Fol. *Vitis*, *Qvercus*, *Myrti*, *Sangviſorb.*, & *Millefol.*, *Salv.*, *Meliſſ.*, *Beton.*; Fl. *Balauſt.*, *Roſ. rubr.*, *Tunic.*; Rad. *Tormentill.*, *Biſtort.*, *Caryophyllat.*, *Galang.*; Sem. *Plantag.* (de qvo VELSCHIUS *Mictom. 66. Cent. 3.* refert, qvod illius Drachm. ſ., ex Ovo ſorbili geſtationis tempore adſumta, plerisq; Monſpelienſium Fœminarum familiaris ad Abortum præcavendum Medicina ſit) *Cardam.*, *Coriandr. præparat.*, *Gran. Cherm.*, (qvæ prædicto Plantaginis Semini adjecta multo feliciorem effectum præſtare, laudatus VELSCHIUS *l. c.* perhibet.) *Pom. Cydon.*, *Citr.*, *Arant.*, *Granat.*, *Nuc. Indic.*, *jugland.*, & *Moſchat.*, *Myrbalani*, *Oſſa Dactylorum*,

lorum, *Caryophylli*, & maximè *Antophylli*, (ob singularem vim Uterum confortandi Mutter-Nelken Germanis dicti.) *Cinnam.*, *Mastich.*, *Thus*, *Sangv. Dracon.*, *Corallia* præsertim *rubra*. Qvorum unicâ Dosi Foetum jam septimestrem in Ventre Matris per aliqvot dies mirè tumultuantem qvietum reddidisse, *Exper. Dn.* RIVINUM memini. &c.

§. XCIII. Ex ANIMALI REGNO *Typh. & C. Cerv. Os Cord. C.*, *Corn. Alc. ejusque Ungul.*, *Unicorn. Animal.*, *Test. & Ocul. Cancr.*, *Astacorumq; Succ.*, *Lap. Bez. Orient. & Occid.*, *Pellicul. ex Ventricul. Gallin. extract.*, (qvas pulverisatas aurei pondere cum Vino jejuno Stomacho adsumendas communiter præcipiunt) *Margarit.*, *Mat. Perl.*, *Cor Pull. columb.*, (qvod vivum & adhuc pulsans deglutitum prodeuntibus jam guttis Sangvineis, Foetum incredibiliter roborare inqve Uterô continere refert PETR. à CASTRO *in Meth. ad Prax.*) *Astragalus & Coagul. Lepor.*, *Pingued. Scroph.*, qvæ nondum peperit, *Ungul. Urs.*, *&c.* Ex MINERALI: *Terr. Sigill. & Japon.*, *Bol. Arm.*, *Miner. Mart.*, *Unicorn. Fossil.*, *Magnes*, *Aetites*, *Jaspis*, *aliiq; Lapides preciosi*, *Ambr.*, *Succin.* Atqve ex his plerisqve uti varia præparata, e. g. Aqva *Cinam. Meliss. Beton. fol. Vit.* (qvâm SENNERTUS speciatim conferre docet, qvando ob Foeminarum Picam Abortus timetur,) *Querc.*, *Ros.*; Spiritus it. *Rosar.*, *Mastich.*, *Cariophyll.*, *Meliss.*; Oleaq; *Nuc. Mosch.*, *Cinam.*, *Mastich.*, *Caryophyl.*; Conservæ *Meliss.*, *Fl. Salv.*, *Tunic.*, *Ros.*, *Acetosit. Citr.*, Syrupi *Granat. & Cydon.*, *Mastich.*, *Corall.*, *Acetosit. & Cort. Citr.*; *Caro Cydon.*, *Condit. Nuc. Ind. Jugland. & Moschat. condit.*, *Myrobal. condit.*, *C.C. phil. præparat.*, *Ocul. Cancr. præparat. &c.* Extract. *Tormentill.*, *Galang.* Essentiæ *Ambr.*, *Succin.*, *Salv.*, Tincturæ *Corall.*, *Fl. Tunic.*, *Ros.*, *Mart. hujusq; Croc.* Salia *Astac.*, (ab HARTMANNO *in Pr. Chym.* specificè commen-

datum

datum) *C. C.*, *Meliſſ.*, *&c.* Et Compoſita: e. g. *Balſ. Embr. Auguſt.*, *Pulv. contra Abortum Eorund.*, *Spec. diamargarit. frig.*, *Diacorall.*, *Diarrhod. Abbat.*, *Diatrionſant. Aromat. Roſat.*, *Conf. Alkerm. compl. & incompl.*, *Placentul. Norimberg. mellitæ*, Ungventum *Comitiſſ.*, *de Cort. Caſtan. Montagnan.* Emplaſtra *contra Hern. & ruptur.*, *&c.* in Officinis inſtructioribus proſtant: Ita in varias ulterius formulas intùs extùsqve adhibendas redigi poſſunt, & à variis redacta leguntur. Qvarum exempla apponere, modumqve adhibendi ſimul adjungere nulli negotii res foret, dummodò tempus & pagellarum anguſtia id permitterent. Interim ex immensô numerô duo hîc ſufficiant: Alterùm Internum HORSTII (*Obſ. 23. l. 1. P. 2.* ab illo licet aliô inſtitutô qvàm Abortum præcavendi, præſcriptum:) Rec. *Balſ. Embr. Unc. ij.*, *Aqv. Cinam. Unc. j.*, *Magiſt. Perl. Corall* (pro qvibus Pulveres præparatos rectiùs fortaſſe qvis acceperit) *ana Scrup. ß. vel Gr. XV*, *Man. Chriſt. Perlat. Dr. j. ſem.* M. F. Potio. Alterùm Externum, qvôd GREMSII eſt: Rec. *Pingued. Scroph. quæ nondum peperit q. v*, *Ciner. Erynac. q. ſ.* F. Linimentum, qvo Uteri regio illinatur. Notandum qvoqve, ex prædictis aliqva inſtar Amuletorum uſurpari & vel de Collô ſuſpendi, vel Brachiis alligari e. g. Rd. *Tormentil.*, *Aſtragal. Lepor.*, *Jaſpid. & inprimis Ætitē ſ. Aquilæ Lapidem*; Qvem qvidem ſpeciatim ſiniſtro Brachio alligandum præcipiunt, cùm fœmori ſiniſtro admotus Partum accelerare, & niſi Fœtu educto removeatur, Uterum ipſum extra locum ſuum dimovere perhibeatur. De eò videri poſſunt PLIN. SOLIN. AETIUS, DISCORID. LEMN. AGRICOL. ALDROVAND. BOET. SYLV. l. c. à ZORNIO *Diſſ. ſ. alleg.* §. XCVII. & CUMMIO *Diſp. ſupra cit. de Conceptione, Cap. 11. in fine.* Qvo-

rum

rum hic ex SCHMOLLII *Manuali Rerum memorab. c. 18.* etiam Arborum Fructus retinere si in summitate earum Aetites alligetur, tradit. Simili ratione operari dicuntur *Rad. Malv., Parietaria, Lapis Lazuli & Samius*, ut & *Sardonius*; de qvo MATTH. UNTZERUS. *Op. Med. Chym. de Nephritid. l. 1. p. m. 933.*

§. XCIV. Tandem comparent *Anodyna.* E.g. *Laud. Opiat. Pulv. anodyn. Ludov. ejusq; Ess. s. Tinct. Opii, Magist. anodyn.* ROLFINC. *&c.* Præstantissima ad retardandam præmaturam Fœtus exclusionem, qvoties dolores enormes vel Uterũ, vel alias corporis partes exercent & Abortus imminere deprehenditur: Inprimis si cùm Corroborantib9 antedictis ritè conjungantur; aut etiam debitis cum Cautionibus, (de qvibus WEDEL. *in Opiolog.* THILING. *in Anchor. Salut. Sacr. &* OL. WORMIUS *in nuper editâ Dissertatione de Somn. & Somnifer.* pluribus consuli possunt) adhibeantur.

§. XCV. Fontem deniqve Diætheticum lustrantibus, proficua ad Abortus Prophylaxin Graviditatis tempore instituendam præsidia offeruntur: *Aër* temperatus & svaveolentibus effluviis plenus, aut saltim purus ingratiqve odoris expers; *Cibi* εὔχυμοι *&* εὔπεπτοι, *Potus* mediocriter spirituosus, aliaqve plura, qvibus omnibus verò sollicitiùs nominandis, atqve ad Causas speciales referendis, operam impendere nolumus, ne videamur judicio Lectoris nihil tribuere. Qvandoqvidem rectè perceptis illis, qvæ de Rerum Non naturalium culpâ in concitatione Abortus superiùs tradita sunt, inqve acqvisita fugiendorum, qvæ ex hoc fonte manant, notitia, facilè opinamur colligi posse, qvænam ad hujus vel illius Causæ præternaturalis abolitionem rectè petantur.

§. XCVI.

§. XCVI. Hæc ſunt, qvæ pro ingenii tenuitate de graviſſimô ABORTûs Malô Chartis commiſi. De qvibus ſi qvis ita me ſentire exiſtimet curatè ſatis omnia & appoſitè ſcripta eſſe; næ! ille fallitur, Metuo qvin potiùs ne paſſim aliqva vel incuriosè omiſſa, vel inprovidè commiſſa occurrant. Qvorum tamen Veniam ab æqvô Lectore mihi promitto, ſi cognoverit paucarum Horarum hunc Laborem eſſe, natumqve extra proprium Muſæum, inter varias compellationes, qvæ attentô adeò animô non eſſe ſiverunt ſcribentem. Tantoq; ſpes mihi veniæ major eſt, qvantò obſeqviorem meliora monentibus, cupidioremqve indies plura diſcendi animum profiteor. Ad extremum DEO O. M. pro conceſſâ hactenus Studiis Conatibusqve meis Gratia devotiſſimô Corde ampliſſimas gratias ago. Utqve inpoſterum ſaluberrimam ſervandorum Hominum Artem feliciter exercere liceat, id Eum per Vulnera Pſychiatri noſtri JESU CHRISTI humillimè rogo.

Nobilisſimo atq; Clarisſimo

DN. KALDENBACHIO,

Med. apud Meſerizenſes Practico,

Affini honoratiſſimo,

Ingenii præcellentis ſpecimen

Diſputatione Solenni DE ABORTU

PRO-LICENTIA,

Obtinendi Summos in Arte Medicâ Honores

Edenti

l. mq; hæc:

COnſcendis Cathedram, PATER in qvâ Clarus AVUSq;
Excellens qvondam, non ſine honore, ſtetit.

I Ut

Ut PATER hîc pulchrè ſtetit olim Clarus, AVUSq;
Excellens, ſic Tu non ſine honore ſtabis,

Fauſtæ acclamationis ergo cum Voto
omnigenæ proſperitatis
app.
PRÆSES.

NOn unâ Medici ſveverunt creſcere nocte,
Fungorum ſolitò more favente ſolo :
Verùm opus eſt ſtudio; nam magna labore parantur,
Nec ſinè ſudorum fonte corona datur.
Nobilis & Sacræ qvi cultor ſtrenuus Artis
Hactenus audiſti dogmata Apollinea,
Te nunc Nobilitas Medici manet, atqve laborum
Qvos ſuſcepiſti, præmia digna capis.
Gratulor hunc Titulum : Praxinqve exopto peramplam :
Ac inter Medicos ſis χαρίεντας, age!

Pauciſſimis his avitam atq; paternam medendi felicitatem Nobiliſſimo Domino CANDIDATO, Cognato ſuo Chariſſimo, cordicitus adprecatur

Gothofredus Samuel Poliſius,
Med. D. Ejusqve Prof. Publ. Extraordinarius :
S. R. I. Acad. Nat. Curioſ. Collega & Civitatis
Francofurtanæ Phyſicus Ordinarius.

DUm, CALDENBACHI, ſexûs ſeqvioris ABORTUM
Sectaris, raram materiem Medicis,
Arguis Alberti Te Magni filium & edis
Materiem dignam viribus Ingenii.

Gratulor

Gratulor hos ausus! Qveîs nomen grande adipisci
DOCTORIS Medici sic Tibi ritè Licet.

Solemnibus Honoribus CL. Dn. CANDIDATI & Amiciss. Compatris benevolè assurgit

M. Jacobus Saurius,
Past. Lagov.

---

*R*Ivus sis *vivus*, gemino de fonte resurgens
Arte Medendi Homini Patris Aviqve clarus.
Rivus sis *vivus*, Cœlo Phœboqve probatus,
Undis, qvas fundunt, splendidior, Charites.
Rivus sis *vivus*, dùm vis describere *ABORTUM*,
Turgens, insurgens, accumulatus Aqvis.
Qvas VEHR RIVINUS, nec non POLISIUS, undant;
Doctum TE reddit Nobilis hæcce TRIAS.
Rivus sis *vivus*, bellè Praxis Tua cedat,
Gratulor ex Animo, prospera qvæqve precor!

Ex Nomine Præcellentis DNI. CANDIDATI, Compatris perqvàm Dilecti, alludens, applaudeb.

Theodorus Rollius,
Eccl. Bröiz.

EMbryo qvô pactô sit conservandus ab Ortu
In Uteri claustris, perbenè cuncta doces:
Suscipis id meritô, qvum stet TUA meta laborum,
Femineus Sexûs posteà dona dabit;
Auguror: Ecce! Tibi Laurum promittit Apollo,
Det DEUS, ut Laurus commoda plura trahat!

Pauca hæcce
Nobiliss. atq; Clariß. DNO. DOCTORANDO Honoris, Amoris & Gratulationis ergò ὀλιγκαρδίως fundebat

Lucas Kühn /
Math. & Med. Cult.

CUi Charites finxere pium ſine crimine pectus,
Qvem non fucatum prodit amica manus,
Qvem ſibi Piërides gaudebant eſſe ſodalem,
Hunc ſocium lauri Præſes Apollo jubet.
Scilicet ex meritis Podalyrius ipſe popoſcit
Ut decorent doctum laurea ſerta caput.

Ita Clariſſ. Dno. Candidato Fautori & Amico ſuo intimo, affectum ampliſſimum conteſtaturus, paucis applaudebat

Joh. Sigismundus Hayn,

Frauſtad. Polon.

DUm, KALDENBACHI, naturam ſcribis Abortus,
Te juſtum partum ſiſtis Apollineum.
Scilicet immoto flammans qvæ lumine Lumen
Solis fert, vera eſt progenies Aqvilæ;
Et fœtus Phœbi eſt, præclarum qvi jubar artis
Aſpexit firmâ mente Machaoniæ.
Verùm, ſi tantùm peperit Tibi laudis Abortus,
Qvæ verus partus nomina magna feret?
Auguror, ut fluvii pelagi volvuntur in undas,
Sic rivis auctus Pontus honoris eris.
Nec lymphæ deerunt illi, vel nomina cujus
Languentis poſſunt ritè ſedare ſitim.

Felicici hoc augurio Kalbenbachium ſuum ad Honores Doctorales adſpirantem proſeqvebatur

Joh. Joachimus à Röber,

Nobil. Sileſ.